
DISQVISITIO GENERALIS

AD HISTORIAM FOETVS EDITI
nonimestris quidem & organici, sed emortui,
ac paruæ adeò molis, seu corpulentiæ,
vt vix quadrimestris fuerit
æstimatus.

*IN ADOLESCENTVLA PRIMIPARA
tam ante, quàm post partum integra
sanitate fruente.*

A V C T O R E
VINCENTIO ALSARIO CRVCIO
G E N V E N S E
S. D. N. VRBANI VIII. Cubiculario, Et olim GREG. XV.
Medico intimiori, Praximq; medicinæ in Rom.
Gymnasio profitente.





ROMÆ, Typis Gulielmi Facciotti. MDCXXVII.
SVPERIORVM PERMISSV.

Imprimatur,

Si videbitur Reuerendiss. P. Magistro Sacri Palatij Apostolici.

A. Eps Hierac. Vicesgerens.



DIsquisitionem hanc Generalem ad Historiam Fœtus &c. Perillustris D. Vincentij Alsarij Crucij ex mandato Reuerendiss. P. Nicolai Rodulfij Mag. Sacri Palatij à me diligenter lectam nihil continere quod Catholicæ Fidei, aut bonis moribus aduersetur & propterea in lucem diuulgari posse attestor.


Ego Antonius Maria Rubeus Rauennas. Hieronymi filius.

Imprimatur,

Fr. Nicolaus Rodulfius Ordinis Prædicatorum, Sacri & Apostolici Palatij Magister.



BENEVOLO LECTORI.





VR dixit Solon apud Plutarchũ Ἔργμασιν ἐν μεγάλοις πᾶσιν ἁδεῖν χαλεπόν. *Omnibus, in magnis, difficile est placeas?* An quia, vt est illa in Parœmia, seu Adagio; *Hic istis, hic verò illis gaudet?* Quò alludens Horatius cecinit:

Plutarchus in vita Solonis.

Parœmia.

Denique non omnes eadem mirantur, amantq́;

& paulò post:

Horatius in Epist. ad Iul. Flor. lib. 2.

Tres mihi conuiuæ propè dissentire videntur
Poscentes vario multùm diuersa palato.

An quòd, cum altero Vate,

Qui velit ingenio cedere, nullus erit?

An potius quia, vt ait D. Hieronymus, *Qui inimicus est, nodum in scirpo quærit?* Iuxta quem sensum

D. Hieronymus ad Pamphil.

A 2 ante

Plutarchus de Vtilit. ex hostibus capienda

ante dixerat Plutarchus; *Maximè peccatis inhæret inimicus, eaq; inuestigat, & sicut vultures ad odorem corruptorum putredine cadauerum feruntur, pura & sana non sentientes, ita inimicum vitia vitæ, malæq; affectiones mouent, ad hæc assiliunt maleuoli, eaq; arripiunt, laniant*. Vel quoniam tandem; ἡ φιλία καὶ τὸ μῖσος κωλύουσι τὸ περιβαίνειν ἀληθῆ τὰ ἀποτελέσματα ἐλαττοῦσι γὰρ τὰ μέγιστα, καὶ μεγαλύνουσι τὰ σμικρότατα. *Amor odiumq;, ne vera eueniant iudicia, prohibent: Siquidem minuunt maxima, augent minima?*

Ptolemæus in Centil. sent. 12.

Pindarus Olymp. Ode 4.

Ouidius 6. Metam.

Ita enim me sentire & scribere etiam docuit cum Ptolemęo temporis filia, ac rerum mater experientia à Pindaro concinnè dicta διάπειρά τοι βροτῶν ἔλεγχος: *Experientia mortalium iudex*. Nam —— *seris venit vsus ab annis*. Instat siquidem ætatis meæ annus quinquagesimus. Quorsum hæc inquies ingenue Lector? Vt æquo magis animo audiantur, & nos nostraq; minus feriant Attalorum quorundam, seu sciolorum & κακοθυμῶν simul, omnes omnium industrias criminantium, conuicia & iacula præuisa. Sunt insuper quasi noui Thessali, cuius imperitiam cum superbia tamen

Galenus non modò lib. 1. Methodi c. 2. & 3. sed lib. 13. cap. 16. & alibi.

A. Gellius lib. 19. cap. 2.

coniunctam abundè nimis notat, redarguitq; Galenus ad initium Meth. meden. A quo quidem Thessalo in eo tantùm aliqui illorum differunt, quòd quæ ille temerè, & summo cum dedecore in Hippocratem diuina virum scientia, vt ait Gellius, hi pari laude, nec diuersa palma in Galenum

Medi-

Medicorum omnium, Hippocrate vnò excepto, quem Seneca Medicinæ cōditorem & maximum Medicorum appellat, antesignanū & coryphæum vomere non erubescunt, vt multitudini placeant, atque Tyronibus æra lupinis distinguere nescientibus. O quàm apposite Tacitus, *magis alios homines esse, quàm alios mores*, & multò ante Hebræorum sapientissimus, *labores & industrias hominum patere inuidiæ proximi*. Absit nihilominus à me de Hippocrate atque Galeno Macrobianum illud, eos nempe *tam fallere, quàm falli nescire*, vt de solo Hippoc. literis mandauit luculentus auctor, & vt cum ijsdem errare mauelim, quàm cum cæteris benè sentire, sicut Massaria & Riolanus de Galeno aliquando scripsere. Nam & ipsi mortales erant, hoc est, non extra hominum sortem, quos difficile est non in multis peccare, eodem Galeno assertore de Archigene loquente, & Hippocrate de se ipso in Epidemijs. Verumtamen vtriusque doctrina per celeberrima quęque Gymnasia & vbique locorum decantatissima, & quam non Græci solùm, sed & Arabes, atque Latini fermè omnes insequi & imitari conati sunt, semper mihi erit instar omnium, quique Galenicam carpere non dubitant, imò se posse conuellere iactant, velut ab Hippocraticis principijs dissentientem, perpetuò tanquam hæretici in Arte habebuntur, qui propterea ex me nunc discant dicere de Galeni volumi-

Seneca in Epist. ad Lucil.

Tacitus lib. 2. Hist.

Salomon; in Eccl. cap. 4. Legat qui plura cupit Præfat. & vltimâ Epistol. mearum Centur. De Quæsitis per Epistolã.

Macrobius in Somn. Scip. lib. 1. cap. 6.

Massariæ, ac Riolani dictū de Galeno.

Galenus 2. catat. cap. 1.

Hippocrates 5. & 7. Epidem.

minibus (nam in reliquis ego fasces libentissime submittam) quod Socrat. olim de Heracliti libris: Ἃ μὲν συνῆκα, γενναῖα· οἶμαι δὲ, καὶ ἃ μὴ συνῆκα. *Quæ intellexi, proba sunt; credo, & quæ non intellexi*. Si ergò, candide Lector, Romæ olim inuentus homo est nomine Thessalus, qui de Hippocrate ad Neronem scribere ausus fuit: *Noxia eum præcepta tradidisse* (taceo interim Asclepiadem, Soranum, Iulianum, Aurelianum, & alios acriter eundem insectantes) si vel hodie minime desunt qui in Galeni commentaria bacchari, & in laruas eius insæuire non verentur, inops ego animi, minimus omnium, & cuius labores, ac libelli mendis vbique scatent, si talium hominum, eiusdemq; census aliorum, nemini parcentium, vt pote Nemesim in animo, si non etiam in dorso gestantium, censuras & criminationes vitare posse putem. Tu itaque vale, quisquis es syncerioris naturæ, ac, vbi vales, & ego infirmor, suppetias afferto, ne saltem maleuoli mea infirmare, aut potius sugillare tentent. Succedent enim Disquisitioni huic tum altera Disquisitio specialis Prophylacticem continens, si videlicet, quod vix credo, conceptio tardabitur, vel, quod Deus auertat, subsequens partus idem subierit infortunium, tum aliquot libri de Morbis Pectoris Frequentioribus, eadem prorsus methodo conscripti, qua vsus olim fui in Morbis Capitis. Iterùm Vale.

Socratis dictum apud Laertium.

Thessalus ad Neroné contra Hippocr. quid scripserit.

Alludit Auctor ad illud, quod Leo Byzantius gibboso cuidam oculorũ ipsi imbecillitatẽ exprobranti respondit; Humanum mihi infortuniũ vitio vertis, ipse in dorso Nemesim gestãs; de qua re Plutar. loco nuperrime allato.

Alia Auctoris Opuscula nunc primùm typis tradenda.

DI-

DISQVISITIO GENERALIS

AD HISTORIAM FOETVS EDITI nonimeſtris quidem & organici, ſed emortui, ac paruæ adeò molis, ſeu corpulentiæ, vt vix quadrimeſtris fuerit æſtimatus.

In Adoleſcentula Primipara tam ante, quàm poſt partum integra ſanitate fruente.

HISTORIA.



Doleſcentula nunc primùm puerpera, primiparaue, ætatis annorum quindecim, & cum Adoleſcēte annorum ſexdecim matrimonio quatuor ab hinc annis copulata, temperaturæ ſanguineæ, ſi res vniuersè tantùm, & κατὰ φύσιν conſideretur, at ſi ſpeciatim quoque, ac velut παρὰ φύσιν, ratione hepatis calidioris, quàm par ſit, à ſubdominio bilioſæ, ratione verò capitis, vel cerebri iuſto humidioris, nec nō alimentorum vbertate, ac potus imprimis aquæ frigidæ, quam frequenter admodum, largeq́ ingeſſit, aliquo pacto etiā pituitoſæ. Cruda enim pituita multa in ea iugiter à capite in ventriculū delabitur, cuius copiā crudior chylus ibidem & *fii-*

Puerperæ ætas, ac Viri.

Tempus copulæ.

Eiuſdem craſis.

Dyſcraſia.

frigidiuscula dyscrasiæ, & obiecti potissimùm improportionati culpa accumulatus impensè nimis adauget; habitus corporis densi, carnosi, obesiue, cum exilibus venulis, quem tamen habitũ si quis plethoricum nuncupare maluerit, nõ magnoperè contendã. Cui quidem præterea menses semper statutis ferè temporibus manare consueuerunt, sed nõ semel imminutè magis quàm pro naturæ ritu, vt ob id, antequam vtero gereret, coacta sit aliquoties menstrua educentibus vti. Quæ purgatio visa interdum similiter fuit prauis succis, vitiosisq; coloribus defœdata, nempe identidem albo, & non rarò viridi, pallidoque; Hæc inquam Adolescentula post totalem menstruæ purgationis cohibitionẽ aliquot diebus ante mensis Ianuarij initium tunc primùm animaduersam, ac diligenter obseruatam; exitus enim eius diebus illis iuxta aliorum mensium ordinem expectabatur; die prima supra vigesimam (noctu tamen) mensis Septembris cùm ex concitatiori motu & inordinato, quo dimoueri quotidie intempestiuè solebat, naturali conditione viuidiore impulsa, bis in terram cecidisset (aliquot tamen hebdomadum ante partum interuallo) absque vllo penitus in ventre, lumbis, atque femoribus dolore; nulla insuper infimo in ventre, sub quo vterus, extuberantia apparente; vt propterea aliæ Mulieres, quæ sæpe illum tetigere, minime grauidam eam indicarent, cum præsertim nec longè à partu, nec prope pariendi tempus, Embryonis, siue Pueruli motum se vnquam percepisse fateatur, ac sine vlla

Habitus corporis.

Mensium cõditio.

Qualitas, & color.

Suppressionis tempus.

Tempus partus.

Adolescentulæ casus in terram ante partum.

Nulla in imo ventre extuberantia.

Embryonis, aut Puelli motus nullus vnquam Matri euidens.

pror-

prorsus mamillarum turgescentia, vel gracilitate, & absque lacte tam ante, quàm post partum, (si tamen excipias, quòd semel & bis in primis mensibus guttulæ aliquot exiere) edidit tandem (quod sine magna admiratione accipi non debet) à breuissimis moderatissimisq; doloribus, (quos propterea ab alijs puerperis tantopere detestari non parùm mirabatur) Puellum emortuū, eumq; in pedes, & cui caput nō ita paruulum, & vtrinque ad latera, seu tempora valde pressum erat, sed alioquin suis numeris omnibus toto in corpore absolutum, optimèue dearticulatū, cum vnguiculis, &, vt relatum est, capillis etiā in capite, qui à Medicis mini me visi sunt, ablata ab obstetricibus cuticula, quæ iam ab vniuerso corpore abscedebat, propter incipiētem putredinem; magnitudinis verò, seu corpulentiæ intantū exilis, vt omniū consensu pueruli quadrimestris figuram minimè excederet, præter quàm in longitudine, quam culpare nemo in primipara potest, & in Fætu adeò tabefacto. Subsecuta sunt postmodū & confestim huiusmodi partū inuolucrū vocatū δευτέριον, seu secūdina; exigua & ipsa magnitudinis, rugosa, & in plicas, vel in quosdam quasi sulcos contracta; illaq; excretio vterina, quam veteres non sanguinis, sed λοχίων κάθαρσιν, idest, purgamentorum vacuationem non temerè appellarunt, propter causam à Galeno allatam 3. in 3. Epid. Quæ quidem lochia licet primo à partu exitu nō infæliciter eruperint (quia si nō ita abundè, vt à sāguinei habitus mulieribus fieri assolet, saltem

Laç nūquam in mammis, siue ante, siue post partum.

Fœtus editus fermè sine doloribus.

Emortuus.

In pedes, & capite vtrinque ad latera presso.

Idem probè delineatus, & Cum vnguiculis, & capillis.

Sed exilis corpulentiæ, seu tabefactus.

Secundinæ exitus, & cōditiones.

Lochiorum.

Quantitas.

Qualitas. *tem nec ita diminutè, quinimò & purpurei coloris excreta sunt) attamen nō valde post, dico intra eundem ferè diem pauciora, decoloratioraq́ visa fuerũt, ac repente cohibita disparuere, vt propterea sanguis è pede fuerit demissus, sed parcè nimis, nullo tamen ex praeceleri suppressione in Puerpera vel leui suborto symptomate, imò cum integra eius valetudine, cùm se promptè habeat ad omnia, & praeuegetas cunctas obtineat naturales operationes, tanquam si non peperisset, vsq; in praesentem diem, qui à partu trigesimus supra centesimum numeratur. Imò nunc circa idem ferè anni tempus iterum grauida, à qua propterea Deum precor longè abesse faciat nonnullas intimiores causas (nam ab externis facilè praecauebitur) de quibus infrà differitur, An locum habere potuerint in huius primi Foetus deperditione, ne in posterum de ea dicatur:*

Terminus.

Sãguinis missio è pede.

Puerperae sanitas.

Eadem iterũ grauida.

Ipsa parẽs quandoq; parẽs, quandoq; nouerca est. *nec quod de natiuo nostro calore aenigmaticè effertur;* Qui me perimet, me viuificat: *Sed quem iam concepisse creditur, foeliciter nutriat, edatq́ suis omnibus numeris absolutum, tam penes materiam, seu quantitatem, quàm penes formam, seu figuram, & delineationem adauctum, omninoq́ vitalem, vt procul ab eo sit, quod de octimestri partu Hippocrates ait lib. de Alim.* Est, & non est, *velut ab alijs, quos paritura esse videtur tanquam fructifera tellus, cui comparata vnà cum Vate illo. 1. Metam. vocabitur* Magna parens.

DI-



DISQVISITIO.





VONIAM veriſſimum eſſe quotidiano experimento docemur quod Ambroſius Paræus ſcriptum reliquit lib. de Generat. Hom. cap. 30. Si quis error in primo partu commiſſus ſit, is ferè in alios ſubſequentes manare ſolitus eſt; & quia pariter magna admodum eſſe cõſueuit analogia inter partum & morbos præſertim chronicos, quò reſpiciens Hippocrates lib. de Septim. partu dixit; Mulieribus conceptus, abortus, & partus eodem modo iudicantur, quo & morbus, ſanitas, & mors cũctis hominibus; in morbis autem ipſis profligãdis, de mente eiuſdem ſapientiſſimi ſenis 4. Acut. t. 57. & lib. 2. Epidem. ſect. 1. t. 22. occaſio, vnde primò cœperint, indaganda à Medico eſt, idcircò in Prophylactice Adoleſcẽtulæ cõſtituenda, (à qua tamen abſtinebimus, ſi quæ nunc denuò facta creditur conceptio ex voto procedet) vt in

Parçi dictum de errore in primo partu.

Analogia inter partũ & morbos apud Hippocratẽ.

Occaſio morborum indaganda ante curationem.

ea posthac tantum prçcaueatur infortunium, omnino inuestigari debent principales causæ, internoscendaq; præcipua origo deperditionis Fœtus, & eorum omnium, quæ relata fuere in Historia, vt vi artificiosæ coniecturæ nunc primùm pullulans adinuenta, auerruncetur antequàm altiores figat radices. Idipsum verò iuxta vires à me fiet per Quæsita plura iatrophysica, & ea quidem deprompta à rei, de qua agitur, natura, inter quæ primo loco ponendum; Vtrum præsens Partus dici queat perfectus & legitimus, nempe congruo, atque maturo tempore editus, an imperfectus, illegitimus, ac, vt vno verbo vtar, abortiuus. Quòd enim abortus instar Fœtus hic emissus fuerit, probari ex eo posse videtur, quoniam nō modò mortuus editus est; siquidem Hippocrates lib. 1. de Morb. mul. per Abortum vitium illud intelligit, in quo fœtus quomodolibet deperditur, nimirum siue mortuus egrediatur, siue intus detineatur; Cum abortit, inquit, mulier, & puer non excluditur, &c. Gestari enim in vtero potest fœtus, quamuis mortuus, per annos plures, vt, inter cætera exēpla nunc breuitatis ergo prætermissa, amplissimè testatur portentosa illa petrefacti embryonis per viginti octo annos gestatio, eleganter admodum enarrata à Ioanne Albosio apud Skenkium, & alios; sed propterea etiam quia gracilis adeò, & emaciatus erat, tamque exilis organorum corpulen-

Quæsitū primum; Vtrum præsens Partus legitimus, an abortiuus fuerit.

Rationes pro Abortu.

Prima ratio ex Hippocrate.

Lithopædius seu petrefactus embryo quādiu in vtero gestatus.

Secunda ratio.

lentiæ, vt vix quadrimestris iudicaretur. Nam de essentia partus est, vt in fœtu sit conueniens particularum omnium conformatio, non modò penes formam, hoc est, figuram, sed & penes materiam, seu quantitatem, quam mox corpulentiam dixi. Vnde cum hæc absuerit, & mortuus esset Infans, non absque ratione suspicari posset aliquis huius Fœtus editionem abortiuam esse, vt puta quadrimestris ad summum, nullo autem pacto nonimestris Pueruli. Signum etenim ab eius motione intra vterum desumi nullum potuit, quo sanè clarior fieret res hæc, licet prægnationis signũ quod à motu sumitur parùm efficax sit, etiã cum Hippocrate 2. Prædict. eo quòd ab alijs quoque causis possit euenire motus, præter quàm à fœtu: quia toto gestationis curriculo ne minimus quidem à Genitrice in imo vẽtre perceptus vnquam fuit; Super hoc enim non semel interrogata idem semper constanti responso asseruit. Medicus igitur, cui nulla maior certitudo est sensu ipso, facilius inde abortum credet, quàm verum, seu maturum partum. Nec stare contra hanc opinionem posse videtur, quòd Adolescentula concipere non potuerit quinto mense à suppressis multo ante tempore menstruis purgationibus, quia mulieres absque menstruis minimè concipiunt; quandoquidem voluit Aristoteles mulieres aliquas concipere, etiam si menses non effluant. Ideo 7. de Hist.

De essentia Partus quid sit.

Grauidationis signum à motu in hypogastrio cur parùm efficax.

Certitudo Medicorum sensus est.

Obiectio.

Solutio.

Reperiri mulieres quæ sine mensibus cōcipiunt apud Arist. & apud Hipp.

Hist.anim.2. sic ait: Mulieres,quæ menstruis carent,steriles magna ex parte existunt; verùm fieri potest,vt aliquæ etiam sine eorum profluuio concipiant. Quid si hoc ipsum voluisset Hippocrates 2. Epidem. sect. 2. tex. 18. in Vxore Coriarij dicens; Multos annos iam habebat. Demumque, neque menses fluebant, cum autem peperit, &c?

Galeni dogma notatum ex Hollerio.

Quod quidem licet ex Galeni principijs, vt ait Hollerius, admitti difficulter possit, constat nihilominus verum esse in multis mulieribus. Vnde Gentilis apud Nicolaum serm.6.tract.3.cap.4. refert se vidisse fœminam, quæ nunquam habuit menstrua, & peperit multos filios. Mulier quædam Montisalbani nunquam menstrua passa fuit, & tamen peperit duodecies, & liberorum adhuc nostro tēpore multi superstites sunt, inquit Rondeletius 1.Meth.cur.mor.cap.24. Consimiles historias recensent alij multi multas.

Historię mulierum quę sine menstruis concepisse dicūtur apud Gentilem, Nicolaum, Rondeletium.

Quinimò Iacobus de Forliuio prima primi mulierem carentem menstruis posse concipere demonstrat apertè, referente Guaynerio tract. de Ægrit. matricis cap.2. Qua in re legatur etiam Mercatus lib.1.de Morb. inul. cap.5.

Opinio Iacobi de Forliuio apud Guaynerii,& Ludouici Mercati.

Verumtamen,his non obstantibus,alterius sum sententiæ,Fœtum scilicet hunc legitimo tempore editum, &, iuxta menses absoluti partus,critica, vt Hippocratis & Galeni more loquar, non symptomatica excretione, videlicet matura,non autem præpropera, ac intempestiua;

Auctoris sententia in hoc casu.

Apud

Apud quos quidem medicinæ Dictatores partus velut quædam crisis est, & iure merito, quia, vt perfectas crises natura nũquam molitur, nisi præparatus & vndique coctus humor fuerit; Vnde Hippocrati 1. Epidem. Coctiones & crisis celeritatem, & salutis securitatem indicant, idque crisimis, vt Censorinus vocat, vel criticis omninò diebus, ita nullam fœtus exclusionem legitimam vnquam aggreditur, nisi perfectus, & numeris suis omnibus ornatus fuerit puellus, & vnà cõueniens ac maturum tempus attigerit. Vnde vna è causis, propter quas Hippoc. censet octimestrem partum edi minimè vitalem, hæc est, quòd octauus mensis incidat in quartum quadragenarium, qui infœlix est. Quidni, si partus est quædam crisis, iudicaturq; non aliter quàm morbi præsertim chronici, vt non ita pridem cum Hipp. ipso dicebam, de qua re idẽ 1. Prænot. t. 1. & Gẽtil. Quæst. med. 40. & quemadmodũ morbi acuti perperam iudicantur octaua die pari, lõgi verò octauo mẽse, sic partus, chronicis seu longis morbis respõdens, si octomestris, potius vocandus symptomaticus, quàm criticus, etsi adauctus cernitur tam penes materiam, quàm penes formam, cum præter membrorum omnium euidentissimè expressam delineationem, quæ in alijs etiam fœtibus minoris ætatis non obscurè dignoscitur, congruam quoq; eorundem magnitudinem, seu corpulentiam obtineat,

Partus comparatio cum crisi.

Pepasmi encomium.

Censorinus.

Octimestris partus cur minime vitalis apud Hippo. prima causa.

qua

qua carent manifestè quicunque fœtus ante septimum mensem editi. De quo propterea octimestri partu ænigmaticè scribens Hipp. lib. de Alim. sic ait; Est, & non est; inter quem, ac nostrum similitudo hæc tantùm, quòd neuter vitalis, dissimilitudo autem in multis, maximè verò in causa obitus, & quia octimestris, præter dearticulationem, habere etiam solet debitam & perfectam partium molem, qua præsens apertè carebat, & quòd hic delatus vsque in legitimum tẽpus, quale est nonimestre; quo partus omnis siue sanus, siue non sanus, seu fortis, seu infirmus, hoc est, inualidus, aut imbecillus, criticè editur, non symptomaticè, vt mense octauo, quo infans emissus (præter quàm in Ægypto, alijsque nonnullis calidioribus locis, si tamen vera est fama, de qua locuti sunt Aristot. & Plinius, vel etiam apud nos, sed quàm rarissimè) viuere non potest, quantumuis robustus, (viribus nempe, quas pessundedit exitum tentans in septimo, quiete vnius mensis refocillatis) ac perbellè nutritus, quæ solæ conditiones ad vitalem prolem edendam neutiquam sufficiunt, vt ex eo pariter constat, quòd multi nascuntur nonimestres malè nutriti, emaciati, elumbesque, qui nihilominus diligenti adhibito regimine, tandem reualescunt, sensimq; instaurantur, ac diutissimè viuunt, contrà, octimestres non pauci oriuntur succipleni, rubicundi, optimique habi-

Dictum ænigmaticũ Hipp. Inter hũc partum, & octimestrem quæ similitudo, & dissimilitudo intersit.

Nonimestres fœtus editi imbecilli, ac emaciati aliquando tamẽ diu viuunt.

habitus, sed non ita post, dico, vt plurimum, intra hebdomadam, quæ recens natos probat, vnde circumcisio die octauo, quia iam non imperfectus fœtus, sed homo vitalis esse cognoscitur, rosarum in morem arescētes extinguuntur, tanquam symptomatici partus; vt portenti, aut etiam miraculi loco haberi debeat quod legitur cùm apud alios quosdam, tum maximè apud Cardanum Tract. 3. Contrad. 8. hunc in modum: Et quidam nobilis habens duos filios, eos habet ambos octimestres, & ambo in infantia vsque ad extremum vitæ peruenere. Huiusmodi quoq; sunt ante septimum mēsem fœturæ omnes, ad abortum tamen, non ad partum meritò relatæ, quoniam ante id tempus cruda etiamnū omnia in eis sunt. Quandoquidem licet in fœtu partium adsit dearticulatio, non inde tamen partus perfectio arguenda, quia & hac ratione quadrimestris fœtus editio verè partus diceretur; Ad illam enim, præter delineationem, requiritur similiter earundem partium robur, requiritur & παχύτης corpulentia, quæ ante septimum mensem pueruło minime accedit, ideoq; nulla ante huiusmodi tempus fœtus exclusio partus vocatur, sed abortus. Quare mirandum nō parùm esse videtur, quod Cardanus ipse post Conciliatorem memoriæ mandauit, quandoque visum esse fœtum in sexto mense vixisse. Idem censendum de eo, quod legitur apud Ferdinan-

Octimestres editi sanissimi attamen breui postea moriūtur, etsi aliter censet Cardanus.

Circumcisio cur die octauo.

Cur ante septimum mensē nullus partus vitalis e-datur.

Conciliator, Cardanus, Mena, Vallesius, & Montuus notati.

nandum Menáin, qui suis comm. ad lib.Hipp.de Septim.partu, quinto mense vitales partus in Hispania editos fuisse narrat, vt non tam mirum sit, si & octimestres ibidem viuere literis traditũ est; Quinimò & Vallesius de Sacra Philos.c. 18.scribit sua ætate natam esse fœmellam haud dubio quinquemestrem,adhuc viuentẽ,plusquam duodecim annos natam. An idem sensus de Pincerna Herici Secundi Gallorum Regis,qui,affirmante Montuo eiusdem Regis Medico,natus quinto mense,viuebat tamen robustus in ætate adolescẽtiæ? An non, inquies,partus respondet conformationi,& qui citius conformatur,citius etiam,ac velocius editur? Hoc enim in fœtu maris, ac fœminæ elucet,necnon & in brutis cernitur, inter quæ elephas non nisi secundo anno parit, sed columbæ domesticæ singulis mensibus nouos creant fœtus, quia scilicet grandiorum animalium fœtus incrementi perfectionem tam cito non assequuntur, Aristot. testimonio lib. 4. de Gen. anim. cap.vlt. Quidni ergò fieri potuit, vt, quemadmodum caloris, & formatricis impotentia, nec non humoris contumacia cõformatus infans tantummodò quinquagesimo, aut sexagesimo die, atque simul paruus, frigidus, & imbecillis, nullaq; propterea aëris, loci, & alimenti solidioris necessitate coactus vterum ad excretionem sollicitare, exit vndecimo, ac aliquando duodecimo mẽse, nam & id scimus

Quomodo possimus eos à nota vindicare.

Ratio physica pro partu quinquemestri, ac vndecimestri.

mo-

monumentis esse consignatum, vnde Conciliator affirmat se fuisse vndecimestrem, & pater Cardani duodecimo mense natum se prædicabat, imò etiam decimusquartus est apud Auicennam, Plinium, & Conciliatorem, ita ex aduerso, si calor fuerit tam potens, conformatrix adeò robusta, materia tam obsequens, vt in embryone valido vigesima die sit facta dearticulatio, quidni inquam sic esse potuit, vt natus quinto, aut sexto mense vitalis euaserit? Profectò si hac in re sensum & experientiam tantorum virorum testimonio nixam contemnere non volumus, cui etiam non paruifacienda physica ratio magnum robur conciliat, nil aliud pro veterum reuerentia respondere poterimus, nisi, quod admodum rarò contingit, parùm id obseruandum iudicasse, respicientes ad id, quod non aliquando, & alicubi fit, vt puta non naturale, sed quod, si non semper, saltem vt plurimum euenire consueuit, sic loquentes, vt excludant illam exactam veritatem, ac necessitatem quæ habetur in mathematicis quoad nos, & in sẽpiternis quoad naturam, vt ait Cardanus, eo quòd non portenta, sed regulæ pro lege habendæ sint. Atquì constat omnibus vix quidquam dari in natura tam certum, ac stabile, quod contrario aliquo exemplo redargui, seu refelli interdum non possit, quia videlicet naturæ ipsius opera multis subiacent circunstãtijs cùm materiæ, & motus, tum

Opinio Auicennę, Plinij, & Petri Aponensis de Foetu nato 14. mense.

Auctoris responsum pro veterum opinione.

Cardani dictum.

loci, ac deniq; temporis, quorum omnium cauſa quamplures accidere poſſunt mutationes, vt ob id ſcripſerit Ariſtot. locò nuper allato, non exquiſitè ſemper cuncta à natura fieri, propter materiæ indefinitionem, & quòd multa incidant principia, quæ generationes deſtinatas ſecundum naturam ſæpe impediant, atque ita cauſa ſint earum, quæ veniant prçter naturam; Id quod ipſe attribuit potiſſimùm actioni Solis circuitus, & Lunæ in hæc inferiora, temporumq; diuerſitati, à qua magna in calore & frigore inæqualitas, præ qua aut generationes fiunt, aut corruptiones. Calores enim & refrigerationes cum moderatione quadam generationes, ſine moderatione corruptiones efficiunt. Quamobrem Mótuus, Valleſius, Mena, Cardanus, & Conciliator referunt quod rariſſimum quidem eſt, ſed non impoſſibile. Idipſum reſponſum detur ijs, qui quod afferunt non minori cum admiratione accipiendum eſt, nimirum viſas eſſe puellas annorũ nouem vtero geſtaſſe. Hoc enim iampridẽ ſcripſit Sauonarola, & de alia à ſe viſa Ioannem Capellam Medicum Franciſci Regis Gallorum idem ſibi affirmaſſe ait Syluius. An non decantatiſſimum eſt illud Auerrois: Monſtra in omnibus artibus, quemadmodum in natura, ſolere quędam accidere? Quare cum hæc habeantur pro monſtris, & vix ſemel per longa ſæcula obſeruentur, mirum nemini ſit, ſi annis proximè tranſactis

Cur non ſemper à natura exquiſitè omnia fiant.

Actio Solis circuitus, & Lunæ in hæc inferiora.

De duabus puellis annorum nouem, quæ côcepiſſe dicuntur.

Auerrois dictum.


Romana Rota in Auximana Aliment. coram Pirouano decreuit cõtra partum quinquemestrem, & sextimestrem, posthabitis historijs à Skenkio relatis lib. 4. Obser. rar. Tit. de Partu. Super qua tamen re contrarium sentit Zacch. in suis Quæstion. Medicolegalibus. Nisi potius nos dicamus erratum ex parte mulierum in temporis supputatione. Verum etenim est, vt vel hodie non semel experimur, quod scribit Arist. sæpe decipi & hallucinari mulieres in numerandis mensibus conceptus, vt sextum credant mensem, qui septimus est. Latet, inquit Philosophus lib. 7. de Hist. anim. cap. 4. mulieres conceptus initium, si, cùm ante inflatus fuerit vterus, postea coierint, & conceperint. Hoc enim esse principium conceptus existimant, cum non sit. A quo errore non longè differt ille alter, qui ab eisdem committitur mulieribus, sæpe verò etiam & à Medicis, in distinguenda rei, quæ vtero gestatur, natura, morbum à fœtu, ac viceuersa hunc ab illo discernere nescientibus; quem errorem notat Hippocrates lib. de Aere, aquis, & locis, in Scythis mulieribus, eo quòd autumant se in vtero conceptũ ferre, cum aquam ferant, & hydropicæ sint. Nec obijciatur idem Hipp. lib. de Septim. partu dicens; Mulieribus de partu fidem derogare non oportet; quia mox seipsum declarans subiungit; Quæ verò iudicio pręditæ sunt, semper dicunt, ac testantur, nasci septime-

Romana Rota cur decreuerit contra partum quinque, & sestimestrem.

Aliud Auctoris respõsum ex parte Mulierum errantiũ in numerandis mensibus cõceptus cum Arist.

Alter error in mulieribus cum Hipp.

Locus Hipp. de non deroganda fide mulieribus in partu.



mestres, & octimestres, & nonimestres, & decimestres, & vndecimestres, & ex his octimestres non supéresse. Sed iam tempus postulat, vt ad nostram rationi sanè magis consonam opinionem de perfecto, idest, tempestiuo partu astruendam, & confirmandam accedamus, quod fiet tribus po tissimùm iactis fundamẽtis, seu sensilibus, vt mihi quidem videtur, rationibus, quarum prima, maximèque euidens illa sit, quæ elicitur à tempore gestationis in vtero, & manifestæ menstruorum cohibitionis, quod planè est nouem mensium integrorum; Nam Puerpera semper cõmunes purgationes singulo quoque mense passa fuit, prætérquàm à tempore, quo in vtero facta est cóceptio, nimirum postremis diebus mensis Decembris, quibus illæ iuxta ordinem aliàs seruatum expectabantur, vsque ad initium vltimæ hebdomadæ mensis Septembris, qua Fœtus exijt, qua regula nulla alia certior est Medicis & mulieribus in dijudicando conceptu, cum reliqua sint infida magis, nimisque longè petita, quæ propterea vtrisque facillimè imponunt. Cõfirmatur veritas hęc Hippocr. doctrina ex lib. 2. Epidem. sect. 3. tex. 31. qua docet aut à menstruis, aut à conceptione numerandos esse nouem menses. Vbi in supputatione facienda pro legitimo & frequenti partu vult habendam esse rationem mẽsium Græcorum, quos & Latini fermè imitantur, qui triginta constant die-

Fundamẽta, seu rationes sensiles Auctoris pro maturo partu.

Prima ratio.

Tẽporis supputatio pro legitimo, ac maturo partu quomodo cũ Hipp. facienda.

diebus, & ab Astrologis solares dicuntur, ita vt nouem menses tali pacto considerati in ducentos & septuaginta dies, quod ibidem annectit Hipp. extendantur; Quod sanè temporis spacium incidit quoque in decem menses lunares, qui Galeno gemini sunt, progressionis vnus, φάσεως, seu apparitionis alter, & illum quidem esse ait viginti nouem dierum cum dimidio, hunc verò viginti septem dierum tantùm. Hippocrates autem, de sententia Medicorum magni nominis, qui data opera rem hanc examinant (ego enim hìc obiter, & per transennam, vt aiunt) supputationem mensium in vteri gestatione per solares mẽses fieri debere multis in locis apertissimè docet, vt de his quoque debeat intelligi cùm vel in vndecimum vsq; mẽsem fœtũ portari posse affirmat, quod multò verius, si de lunaribus, vt cõstanter asserit Cardanus Tract. 3. Contrad. 8. vbi & hunc Hipp. locum genuinum esse negat. Vnde cesset admiratio, si & partus cõmunis decem etiam mẽsium, non modò nouem esse potest. Ita apud Gellium lib. 3. cap. 16. Decemuiri partum legitimum esse mẽse decimo voluerunt. Legatur Nonius in vocabulo Spissum, Tertullianus lib. de Anima; Legitima natiuitas decimi mensis fermè ingressus est. Renar. cap. 28. in Leg. 12. tabul. Vlpianus propterea ad legitimam hæreditatem post decem menses non admittit, quippe qui iam didicerat ex Hippocr. in decem men-

Mensis solaris Astrologorũ idem cum mense Græcorum.

Mẽsis lunaris duplex Galeno.

Hipp. solarẽ cõsiderat, etsi aliter Cardanus.

Grauissimorum Auctorũ loca quomodo intelligenda.

Vlpianus in quo partu Hipp. doctrinã sequatur.

mensibus, quod longissimum est, nasci fœtum, lib.de Nat.pueri. Vnde Iustinianus Imperator pro hac parte pronunciauit. Nam quod de mense vndecimo traditur ab eodem lib. de oct.par. & post eum ab Aristot. Iustinianus & Vlpianus fortasse contempsere vt insolés,ac rarissimum, aut in quo mulieres facilè decipi possunt. Vnde Varro in Satyra subsannat Aristotelem; quòd non solùm decimestres, sed & vndecimestres recipiat, interim ipse vel decimestres ab hæreditate penitus excludens, licet Adrianus aliter, vndecimo mense partum editum legalem esse posse determinans; Sic intelligendus Virgilius cùm cecinit:

Imperatorũ duorũ leges contrariæ Iustiniani.

Varro in quónam subsannet Arist.

Adriani.

Virgil.locus.

Matri longa decem tulerint fastidia menses.

Quinimò Arist.7.de Hist.animal.3.& 4.cap.scribit fœminas magna ex parte decimum vsque in mensem protrahi, & omnino serius excludi maribus, quia nimirum tardius etiam in vtero perficiuntur,contra viri celerius ob caliditatem,quanquam accidat aliquando oppositum. Vnde Galen. 5.aphor.42. Contingit aliquando,licet sit rarum, vt concepta fœmina sit mare robustior,& multis, ac validis motibus moueatur. Quò nisi dicamus respexisse Auicennam,dum 21.tract.1.cap.2.hæc verba protulit; Determinatio autem masculi & fœminæ in distinctione spatij,est res, quam quædam pars Medicorum iudicat audacter, & stultè: profectò & sibimet eodem in loco, & Hipp. alijsque

Cur mulieres tardius concipiantur, & edãtur maribus; vbi Auicenna,& Macrobius notantur.

que contradicet. Ita puto aliqua nota dignum esse Macrobium, dum lib. 1. in Somn. Scip. cap. 6. vult masculum in septem perfici hebdomadis, fœminam autem in sex; siue hoc de mente propria scripserit, siue etiam Stratonis peripatetici & Dioclis Carystij, cum Hipp. Arist. & Gal. doctrinę omnino aduersetur, si non & ipse determinatè loquitur. Extra vterum verò aliter contingit, quia citius quàm nos perficiuntur, non solùm secundum corpus, sed etiam secundum mentem, eo quòd fiunt citius prudentiores quàm viri, quod notat Hipp. omisit Arist. quoniam loquitur vniuersè de cunctis animalibus, non speciatim de solo homine. Postquam à matre, inquit Hipp. lib. de Septim. part. segregatæ fuerint puellæ, celerius quàm masculi pubescunt, sapiunt, & senescunt, cùm propter corporum imbecillitatem, tum propter victus rationem. Debiliora itaque cum habeant mulieres vitæ primordia; nam mares ex calidiori semine, fœminæ ex frigidiori gignuntur. 1. de Diæta, mirandum non est, si quàm celerius incrementa sua capessunt, ætatisq; tempora citissimè percurrunt, idque extra vterum, intra quem dum stabulantur contrarium experiuntur, ab eadem tamen causa; quoniam, vt ait Hippoc. ipse de Nat. fœt. mouetur prius masculus, eo quòd sit fortior fœmina, & primò solidatur, eo quòd ex robustiore generatione fiat; & ideo fœminę ob principiorum imbecillita-

Cur extra vterum celerius perficiantur, & sapiant viris.

Hipp. locus enarratus.

tem ſerius conformantur, ſeriuſq; mouentur, præ qua, ſicut præ nimia corporis mollicie, poſtquàm editæ ſunt, celeriorem perfectionem, celerioremq; interitum adquirunt, vt exilia poma ocyus matureſcunt, robuſta tardius; nec non iuxta illud: Quod citò creſcit, citò etiam decreſcit: accedentibus quoque cauſis alijs, quæ ſub ratione victus ab Hipp. comprehenduntur. Super qua re duo extant pulcherrima eiuſdem Hipp. loca, digna prorſus quæ huc transferantur. Ait ergo in calce ſect. 3. lib. 2. Quod citius diſcretum & motũ eſt, augetur rurſus ſegnius, & in longius tempus. Et ad finẽ ſect. 2. lib. 6. Concretum eſt, conſtitit citius, poſtquàm motum eſt, definit, & tardius augetur, & pluri tempore. Quorum locorum verba ſunt qui accipiunt non ſolùm cum Ariſt. de incremento extra vterum vſque ad conſiſtendi ætatem, ſed & de alio intra vterum vſque in partionis tempus, vt videre eſt apud Valleſium de Sacra philoſ. cap. 18. Poſſet autem hoc in loco aliquis obijcere, quomodo præſens Fœtus nouem menſiũ integrorum ſtatuatur, ſi per nouem dies antequàm finis ingrueret menſis Sept ẽbris excretus fuit; ſed reſponderi primùm poteſt cum Hippoc. ſatis eſſe, ſi aliquot ſolùm dies attingat fœtus menſis quo enaſcitur; Nam lib. de Alim. poſtquam deſcripſit ſeptimeſtres, octimeſtres, nonimeſtres, ac decimeſtres partus, ſic denique ait: Gignuntur in his menſibus & plures, & pau-

Hippocr. loca duo dilucidata.

Obiectio aduerſus hunc partum nonimeſtrem.

Dilutio prima cũ Hipp.

pauciores ſecundum totum, & ſecundum partes: nempe aut in parte menſis, aut in toto menſe perfecto; Deinceps dico quòd computatio fieri ſolet à menſtruis vel deſinentibus, vel impendentibus, vel medio tempore inter hæc. Expectabantur autem in Adoleſcentula paulò ſubter initium hyemalis Solſtitij, quibus minimè apparentibus, rationi conſonum eodem fermè tempore, & circiter huiuſmodi dies factam in vtero fuiſſe conceptionem, cuius notæ illæ ab Hippoc. relatæ lib. de Genit. ac de Princip. vti ab Ariſt. 7. de Hiſt. an. 4. obſcuriſſimæ ſunt vel in mulieribus partuum peritis, quantò magis in primiparis, tenellæque adeò ætatis. Quare ſi aliquot poſtremi dies demantur de menſe Decembri, adijciantúrq; Septembri, clarum fiet omnibus, tempus, quo Puer in vtero geſtatus eſt, nouem prorſus menſium fuiſſe, ſeu ducẽtorum ſeptuaginta dierum; Decem verò etiam, ſi lunarium quoque menſium apparitionis dictorum ratio habenda eſt. Ad quam rem melius intelligendam, hùc afferre decreui quæ traduntur à Valleſio in fine comment. ad locum citatum Hippocr. 2. Epidem. & ſunt; Si computatio fiat à menſtruis fluentibus, ſemper videbitur produci partus vltra nouem menſes græcos, eritq; computatio incerta, atque non rarò peccabitur in victu, putante muliere ſe iam ingreſſam nonum, cum nondum egreſſa octauum menſem ſit. Si autem

Secunda ex ſenſu ipſo.

Cõceptionis mox factæ ſigna difficilia.

Valleſij teſtimonium, & verba.

fiat computatio à menſtruis deficientibus, ſemper attinget nonum menſem, & nunquam excedet. Nam pariet poſt 270. dies, exceptis tot, quot præceſſerint à die conceptionis, vſque ad diem deficientium menſtruorum. Si igitur conceperit recens expurgata, pariet in initio noni, ſi iam menſtrua imminerẽt, in fine; ſi inter hæc, medio menſe. Quantùm verò ad rationes pro Abortu, quibus nunc reſpondendum, prima deducebatur ex auctoritate Hippocratica 1. de Morb. mul. ad quã dicatur, abortum ibi ab Hipp. vocari non ſolùm immaturi fœtus excluſionem, ſed & eiuſdem in vtero ante tempus extinctionem, verùm à me tantummodò conſiderari Fœtum hunc prout perfectum ratione temporis, ſicque ad legitimum partum, nullo modo ad abortiuum referendum eſſe, nec vt à vulgo, qui fœtum omnem quomodolibet deperditum ſub nomine abortus comprehendere ſolet. Iuxta quem etiam communem ſenſum nemini non patet haudquaquam veræ, ſed imperfectæ criſi, ſeu penitus ſymptomaticæ excretioni comparari magis debere præſentis Fœtus emiſſionem. Siquidem non modò editus eſt non vitalis, quæ conditio, de mente Hippocratis, eſt de eſſentia abortus, licet non item de eſſentia partus abſolutè ſit, vt vitalis prodeat, ſed perfectus, quia vitalem, aut non vitalem eſſe, differentiæ ſunt potius, verùm etiam emortuus, & abſ-

Reſponſio ad rationes pro Abortu.

Ad primam.

Conditiones quædã Abortus, & Partus.

absque debita partium omnium corpulentia, ac perfectione, quæ vt cùm adest integrum & perfectum partum demonstrat, ita si abest, idem immaturus, imperfectus, & abortiuus æstimatur: Nec quis dicat octimestrem partum esse perfectum, quia si perfectus in mense septimo, tantò magis in octauo; (quam tamen doctrinam Lalamantius impugnat comment. in 2. Gal. lib. de Diebus decret.) nam quidquid post septimum duobus alijs subsequentibus additur, id ad robur magis facere videtur, quàm ad maiorem partium perfectionem; & nihilominus non deesse qui octimestrem fœtum ad abortum, non ad partum referri debere contendant, cum nullo modo vitalis edatur, saltem apud nos, nisi quàm rarissimè, vt nec sub Hippoc. climate, quia dixerim perperam octimestris fœtus editionem abortum appellari, quòd vitalis non sit, quoniam si Partus definitur perfecti in vtero fœtus editio, seu vitalis exeat, siue non, velut Abortus eiusdem immaturi editio, extinctioue, non videtur, vt dicebam, esse de essentia partus simpliciter, vt vitalis prodeat, sed perfectus, qui deinceps, si, quantumuis perfectus, vitalis tamen non existit, id ab altiori pendet principio, profundiorique causa, super qua & ante & post Hipp. multi multa scripsere. Ideo vt non pertinax ero negando secundùm aliquas conditiones præsentem Fœtum ad Abortum fermè redigi posse, ita

Octimestris partus perfectus est.

Lalamantij opinio.

An ad Abortum, vel Partum reuera pertineat.

Definitio vtriusque.

Præsentem Fœtum, licet in aliquibus conueniat cũ Abortu, atta-

men ad Partũ referri omnino debere ratione temporis. ita non inuitè mihi ab alijs concedendum, eundem, ratione temporis, sub legitimo, ac maturo Partu meritò collocari. Quod autem pro secunda

Ad secũdam. ratione afferebatur de nimia gracilitate, ac phthisi, seu tabe, ex eo facilè conuincitur, quòd quamplures emaciati fœtus, & consimilis ferè atrophiæ in nonum vsque mẽsem intra vterum gestantur, indeq; aliquandiu, imò & diu vitales egrediuntur, præsertim si iuxta medicinæ practicæ documenta conueniens illi tenellæ ætati, debilique naturæ statim à puelli exortu regimen instituatur. Deni-

Ad tertiã responsum primum. que ad rationem desumptam ab exemplis fœminarum illarum, quæ conceperunt, ac pepererunt, etsi nullo tempore menstruatæ visæ sunt, inter

Romana mulier sine mensibus plures enixa filios. quas Romanam collocari velim, quæ & inculpata fruitur sanitate, & plures enixa est filios sanos, quorum bona pars viuit, & nũquam tamen menstrua vidit, respondeatur in primis, quòd eiuscemodi historiæ habentur tanquam rarissimæ, & præter naturam vniuersalem, vt philosophi dicunt, ideoque eas ad Artem non pertinere, in qua ea tantùm expendenda sunt, quæ maiori ex parte contingunt, nec exempla aliquando obseruata, & alicubi, possunt rerum illarum veritatem conuellere, quæ continuis experimentis à mille retrò sæ-

Secundum. culis comprobatæ sũt apud nationes omnes. Præterea scimus in multis mulieribus menses foras non effundi, aut parcissimè, quia illorum materia

ria intus reſiccatur, abſumiturq́; penè omnis, aut vitio propriæ intemperiei calidæ admodum, ac ſiccæ, qualem viragines habent, aut ex accidenti, vt in ruſticis fit, quæ ob nimios, aſſiduoſq́; labores excrementum omne, & quidquid ſuperuacanei colligitur facillimè digerunt, nec magna in copia cumulari permittunt; id quod ſaltatricibus, & cantatricibus etiam euenire notat Rufus apud Ætium, imò & alijs quoque mulieribus frequenter contingere obſeruamus, quando aut longioribus vigilijs, aut intenſis animi curis, vt mærore, amoreue conficiuntur, & contabeſcunt, quæ tamen ſi cum viris iungantur non difficulter concipiunt, quia licet tanta in copia menſtruum ſanguinem non colligant, vt foras manifeſtè profundatur, attamen intrinſecus ad vteri loca portio idonea demandatur, & quanta ſatis eſt pro generatione. Vnde Ariſt. 2. de Gen. anim. 4. ait quòd vt ſine maris emiſſione concipi impoſſibile eſt, ita etiam ſine menſtruorum excremento, quod aut redundans effluat foras, aut intus ſatis ſit; & 7. de Hiſt. anim. 2. poſtquam dixit eſſe mulieres quę ſine menſibus concipiant, ſubnectit, videlicet quibus tantum humoris colligitur, quantum ijs, quæ purgantur, reſtare ſolet, quanquam non tanta copia, vt & foras poſſint profluere. Hiſtoria verò Vxoris Coriarij apud Hippoc. nihil in oppoſitum concludit iuxta Valleſij interpretationem, qui non men-

Cauſę nonnullę ob quas menſes non exeunt.

Quomodo intelligẽdum mulieres ſine mẽſibus concipere.

Hippocr. hiſtoria quomodo intelligenda ex Valleſio.

menstrua illi cessasse vult antequàm conciperet, sed, post vltimum partum, nunquam amplius effluxisse. Quare cum dictæ mulieres non sint penitus menstruis destitutæ, non equidem video quomodo allatis exemplis Galeni dogma possit labefactari, vt Hollerius putasse videtur. Quæcunque autem mulieres sic affectæ sunt, & nihilominus concipiunt, id manifestè habēt vel à propria, vt dicebam, naturali dyscrasia, vel accidentaria aliqua occasione, sed nostra Adolescentula iam sanguineæ statuta est temperaturæ, & eidē menses ab eo tempore, quo fluere cæperunt, nunquam suis circuitibus defecerunt, (quanquam aliquando imminuti) nisi post inchoatam conceptionem, à qua penitus suppressi fuerunt, non vigiliarum, non animi pathematum causa, præterquàm quòd luculentam vitam degit, ac sedētariam, non inopem more pauperum mulierum, non laboriosam sicut rusticæ, vt omnino sit asserendū, in ea menstruam purgationem delituisse, cùm generationis Fœtus gratia intus conclusa fuit. Id totum denique corroboratur quamualidissimè ex eo, quòd si eadem, vt infrà dicetur, priusquam vtero gereret, ex sola menstruorum imminutione aliquoties obseruata, non ità post decolor apparebat, & ad progressiuum motum tardior erat, quantò magis hæc & alia etiam sæuiora euenissent, totaliter facta cohibitione quinque ante menses, nisi grauida fuisset?

Galeni dogma inconcussū, quidquid dicat Hollerius.

In Adolescētula nūquam menses suppressi, nisi post conceptum.

Postrema ratio pro nonimestri hoc Partu ex mensium suppressione cum sanitate Adolescentulæ.

Ne-

Nemini enim non constat ex Hipp. 5. Aphor. 57. si plures fiant quàm oporteat menstruę purgationes, varios in mulieribus morbos generari, at si minori in copia quàm par sit, aut nullo modo fluant, ex vtero morbos contingere. Ita colligitur ex eodem, velut & Gal. com. lib. 1. Epid. 3. menstruis fluentibus omne malum euasisse fœminas, cum verò eadem sisterentur, plethoricis symptomatis redditas obnoxias totius corporis, & singularum partium; id quod tribus præsertim mensibus transactis elucescit, post quod temporis spatium maximè in omnibus ferè mulieribus, & pręcipuè sanguineis, lautè viuentibus, ac otiosè, erumpere solent perquamgrauia symptomata, nisi vterum ferant, & fructiferæ sint, quibus superfluus sanguis cedat in fœtus nutricatũ, aut ab illis præcaueantur idonea purgatione, vel phlebotomia; At hæc Adolescentula, in qua exuperans sanguis in Pueruli nutrimentum parcè nimis, sed in proprium largè admodum cessit, nunquam hilarius, nunquam melius, quàm toto grauidationis tempore, quod ab vltimis mensis Decembris diebus inchoatum fuisse iam suprà abundè probaui, & hæc etiam ratio non minimùm cõfirmat. Secundum argumentum pro maturo partu elicio à facilitate pariendi, quæ in abortu nunquam esse solet, maximè si fœtus iam sit trimestris & quadrimestris. Vt mirer non parùm quòd ait Hippocr. 7. Epi-

Menstrua cohibita quando, & quibus fœminis grauia inducant mala.

Secũda ratio pro maturo Partu ex facilitate pariendi, & moderatissimis doloribus, eoq; magis, quò

Fœtus emortuus, & situ minime naturali editus est.

Octimestris fœtus sine labore editus apud Hipp.

Dictum Medeæ apud Euripidem.

Rachelis partus quantumuis naturalis, eidem cur funestus extiterit.

Fœtus in vtero, vt in arbore fructus, ex Gal. comparatione.

7. Epidem. de Olympiadæ vxore vtero gerente fœtum octimestrem; Abortu quinto die sine labore est liberata. Inciderat autem in acutam febrem ex casu. Quo in loco Hippocratis obiter animaduertendum abortum dici de octimestri fœtu. Nam si naturalis & maturus partus, qui se habet instar crisis, tam arduus, tamq; dolorificus est, vt Medea apud Euripidem dicat se malle ter sub clypeo dimicare; quàm semel parere; Et meritò sanè, cum in dies videamus etiam in simplici, omninoq; naturali partu, præ nimio dolorum cruciatu, spirituumq; dissolutione, mulieres maximoperè periclitari; quod periculum notarunt itidem Sacræ paginæ, velut Genes. 35. vbi de Rachele postquàm dictum fuit; Ob difficultatem partus periclitari cœpit, illicò additur; Egrediente verò anima præ dolore, & imminēte iam morte; quantò difficilior & grauior abortus erit, qui est tanquam symptoma, & in quo præcipuè fœtus arctè vtero colligatus citra violentiam non corrumpitur? Quam facilitatem eò magis in casu nostro legitimum partum attestari existimo, quò Puellus editus est mortuus, nec figura, seu situ secundùm naturam, quanquam hinc fortasse alij penitus contrarium. Aptissima est enim illa Galeni comparatio. 4. aph. 1. & 11. de Simpl. medic. cap. de Ouis; nimirum, vt ad vteros fœtuum connexus eandem habeant proportionem, quam fructus ad arbores, & plan-

& plantas: Hi ſiquidem à primo exortu tenelli cum ſint, debilioribusq; capitulis contineantur, facilè proinde cadunt, ſi præſertim vehementior ventus eos concuſſerit, ſed poſtea vbi adoleuerint, difficilè à plantis diſſoluuntur, ſicut rurſus cùm maturi ſunt, atque perfecti, vel ſponte ſua abſque extrinſeca vi decidunt; Pari pacto & conceptus in primo quidem tempore ſeminis iniectionis, ſi vel ſaltare, vel in lubrico cadere mulierem cōtigerit, ſeu alio quouis modo aut ſecundùm animi pathe mata, aut ſecundùm corpus dimoueri vehementius, facillimè diſrumpuntur, ſic quando & iam perfecti ſunt. Verùm tempore intermedio ſtabiliorem habent coalitum, & ideo tunc mulieres vterum ferentes vel concitatiores motus ſuſtinere valent citra fœtus læſionem. Vnde Hippocr. hæc omnia noſcens, ac expendens, rectè ait prægnantes eſſe purgandas, ſi tamen humor turgeat, & efferus inſæuiat, à quarto mēſe vſque ad ſeptimum, quod eſt in medio tempore fœtationis, quia fœtus firmior iam eſt, & arctè vtero alligatus, vt ob id vnà cum muliere illis in menſibus cunctis iniurijs valde admodum reſiſtat, & ratione vteri & ratione vmbilici. Ita videmus apud Hipp. 1. Epidem. hiſt. 13. mulierem grauidam, quæ vehementi morbo tenebatur, ſeruatam nihilominus, licet idem 5. Aphor. 31. ſcribat, ſi mulier vtero gerens acuto aliquo morbo corripiatur, funeſtum eſſe.

Mulier grauida acuto morbo detenta apud Hip. quare ſeruata.

Reſpondet enim Galen. & rectè mulierem illam fuiſſe ſeruatã, quòd trimeſtri grauiditate in morbum inciderit, nam trimeſtres & quadrimeſtres alijs magis ſeruantur, quòd maiorem habent opportunitatem admittendorum remediorũ, quàm aliæ, quæ ſunt ſeptimeſtres, ac ſextimeſtres: Cum itaque Adoleſcentula tanta cum facilitate pepererit, nullo modo partus potuit eſſe abortiuus, qui, (præſertim ſi iam quadrimeſtris fœtus eſt) non fit niſi à violenta, & morbifica cauſa, naturę magnopere infenſa, & in quo vtero gerens ſummopere laborat, periclitaturque, ſiue cauſa moles ſit, ſiue pondus, ſiue morſus, vt Galenus ait 3. de facult. nat. cap. 12. Quarum cauſarum duæ quæ priori loco mox enumeratæ fuerunt, longè à præſenti caſu abſunt, quia hìc moles puſilla, non magna, immoderataue, à qua diſtendente grauaretur vteri expultrix, ſicq; ad expellendum inſurgeret, vt nec pondus aggrauans ex ſe, vel ratione virtutis, quod interdum contingit, licet fœtus non ſit aſſecutus inſignem molem; nam Puerpera ſaniſſima, eademq; robuſtiſſima eſt. Poſtrema tantùm cauſa aliquem habere potuiſſe locum in hoc partu videri cuipiam poterit, quatenus naturam, iam tamen ad excernẽdum ratione maturi temporis diſpoſitam, atque paratam, aliquo pacto irritauit, cum fœtus ſecundùm pelliculam corrumpi incipiens, vteriq; tunicam vellicans, ad celeriorem excre-

Abortiui partus triplex cauſa apud Gal. Moles, Pondus, Morſus.

In caſu noſtro cur non moles, nec pondus.

Cur morſus adeſſe potuerit.

cre-

cretionem naturam ipſam prouocauerit. Ne dicam, quòd huiuſmodi cauſæ etiam ad legitimum partum edendũ concurrere poſſe videntur. Quid ſi non ad ἀνίαν, ſeu moleſtiam, quam percipiebat vterus ex aliqua iam inchoante putredine, & expultricem irritante, id ipſum referamus, ſed potius cum Scaligero Exer. 335. ad facultatem ipſam expultricem haud ignaram cognitionis, vt non ob id ſemper diſtenſione, pondere, & acrimonia inſtigata excitetur ad expulſionem? Inſuper addebatur ſuprà, pro maiori partus legitimi corroboratione, extincti in vtero Puelli & tamen fęliciter editi conditio, eo quòd conſtat apud omnes partum κατὰ φύσιν fieri à pari conatu Fœtus & fœtæ; imò ſi quærat hoc in loco aliquis, vtri ſit motionis principium contribuendum, vtero nè, an puerulo, reſpondeatur cum Gal. 5. Aphor. 37. partus initium fœtum afferre matri, quia ſcilicet grandior factus & calidior copioſiore cùm alimento, tum ſpiritu egens, manuum, pedumq; crebra impulſione membranas diſrumpit, & ita vinculis ſolutus foras prodit, vt ſcripſit etiam Hipp. in lib. de Nat. pueri. Quare cum noſtro in caſu Puelli defuerit auxilium, totumq; onus Matri demandatum ſit, laborioſus ſanè, ac difficilis debuiſſet eſſe partus, quemadmodum in abortu euenire plerumq; ſolere ſuperius demonſtraui, vnde & Auicennæ dolorificus valde magis abortus eſt, quàm

Scaligeri opinio de expultrice haud ignara cognitionis.

Probatio ſecũdę rationis ab emortuo Fœtu.

Quæſitum.

Solutio.

par-

partus. Apud quem ſimiliter mortuos pariés maximo in diſcrimine verſatur 21.3. tractat. 2. cap. 20. Quandoquidem, vt nos docet diuinus Senex 1.de Morb.mul. Maxima eſt hæc difficilis partus ratio, ſi aut mortuus, aut apoplecticus, id eſt, ſenſu & motu priuatus exeat. Quia videlicet, ſi defunctus vita puerulus eſt, ſoli matri ſupereſt quod agat, quæq; propellat ipſum ſola foras; quod ſimiliter prorſus eueniet, ſi per aduerſam fortè valetudinem (nã ſæpe intus ægrotat lib. de Sacro morbo) quaſi omnis ſenſus ac motus expers is fuerit, nec ſi apoplecticorum in morem dimoueat, nec promoueat, quia & matris, & puelli conatus, vt modò ſuprà dicebam, in partu deſideratur, qui fit natura duce. Hinc propterea etiam fit, vt mola diutiſſimè in vtero geſtetur, nulla ſcilicet alia de cauſa, ſi creditur Ariſtoteli 10. de Hiſtor. anim. niſi quia cum animal non ſit, vnde nec alimentum, nec aërem exoptat, & conſequenter nec exitum, nullum ciet motum, neque vterum ſollicitat, vt puer, qui calcitrando exitum ſibi & accelerat, & facilitat. Per ſe enim loco dimoueri animantis eſt; Mola tantùm verſatur ad nutum materni ventris. De quo motu arbitror intelligere voluiſſe Auicennam quando 21.ter.tract.2.c.18, dixit motus, quos mola facit, ſimiles videri motui embryonis; & Petrum Salium in ſuis Annotat. ad Altim. Praxim cap. 113. & 115. niſi quis potius am-

Hipp. locus explicatus.

Cur Mola diutiſsimè geſtetur.

Auic. & Salij loca de motu molæ in vtero quomodo accipienda.

amborum ſermonem transferat ad animatas molas varijs etiam brutorum figuris inſignitas, de quibus multi multa. Scio equidem non deeſſe qui negant fœtum in vtero eſſe animal, aſſerẽtes eum nutriri & augeri, vt ſtirpes, aut arbores, neque aut motum voluntarium, aut inuoluntarium habere, ſicut animalia, ideoq; nunquam ſuapte voluntate moueri, ſed, vt arbores & plantæ: Vt nec me ſimiliter latet, quòd Aſclepiades neque animal, neque non animal eſſe fœtum in vtero matris exiſtimabat, ſed dormientibus & ſopitis ſimile, quia ſicut hi ſenſus habent, ſed non vtuntur, ſic qui in vtero ſtabulantur. Sed ego, cum bona Medicorum & Philoſophorum ſchola, ex motu, & alijs fœtum in vtero animal eſſe iudico, vt voluit maximè Plato, referente Plutarcho 5. de Placitis Philoſ. cap. 15. necnon Galen. lib. Quòd animal ſit id quod eſt in vtero, cap. 3. vbi fœtum opera animæ, ac naturæ in vtero obire demonſtrat. Et forſitan contra ſentientes de prima embryonis in ipſomet vtero vita vegetabili, non ſenſitiua, quæ deinceps, cum ferè omnibus, accedit, intelligi volunt. Ita & Ariſtoteles plantas, ac ſtirpes viuere dicebat, animalia eſſe negabat; quòd animalia appetitu, ſenſuque, & quadam porrò ratione ſint prædita, apud eundem Plutarc. lib. adducto cap. 26. Conceditur enim fermè à cunctis quod ipſe Ariſtoteles affert lib. 1. de Gener. animal. nimirùm embryonem tenellum à prin-

An Fœtus in vtero animal ſit.

Opinio quorundam.

Aſclepiadis.

Auctoris de mente Platonis, & Gal.

Aliorum quo modo intelligenda.

Ariſtotelis opinio de Plãtis.

principio vitam plantę viuere imperfectiſſimam, deinceps animalis, tandem hominis. Quod quidem non ratione formæ contingere dicitur, quia hæc ſimplex eſt, & indiuiſibilis, ſed ratione materiæ, ſeu organorum, quibus ad actus ſecundos, & operationes celebrandas vti conſueuit nobilis illa ἐντελέχεια. Verùm ne longius à re propoſita aberremus, cum hac in Adoleſcentula totum ſit obſeruatum oppoſitum, quippe quę propria tantummodo vi, nempe ſpiritu cohibito, & muſculos abdominis comprimendo, emortuum Infantem facillimè enixa eſt, opera tamen etiam vteri magnoperè adiuta, quem natura propterea donauit cunctis fibris, nō ſolùm videlicet rectis ad ſeminis attractionem, & obliquis, quarum miniſterio toto geſtationis tempore grauem fœtum cōtineat, ſed etiam tranſuerſis, quibus perfectum opus & abſolutum cōceptum excludat, à fundo ad os ſeipſum prouoluendo, concludere oportet, partum fuiſſe emiſſum tempore congruo & legitimo, quaſi per modum illius criſis prorſus admirandę, ſuper qua omnino obſtupeſcit Galenus ipſe, qui lib. 15. de Vſu part. cap. 8. ſcribit partum ſuperare omnem naturæ admirationem, quoniam os vteri ſtatim à conceptu ita conniuet, & arctè conſtringitur, vt ne ſpecilli quidem acumen, præterquàm cùm ſuperfœtari contingit, quod rarò fit, intromitti patiatur; Ad quod reſpexit Hipp. 5. ſect. Aphor. 51. di-

Vteri fibræ.

Gal. admiratio ſuper partu, & oris vteri conniuentia, ac dilatatione.

dicens; Quæcunque vtero gerũt, his vteri os comprimitur. Et postea partus tempore ita dehiscit, vt magna inde moles extramittatur. Quod, inquit Galen. fieri videmus, sed quomodo fiat, admirari tantùm possumus, & Auicenna vocat opus suprà mirabilia omnia mirabile. Res ideò sanè digna quam admiremur omnes, & de numero earum, quæ sunt suprà humanum captum, licet assiduitate vilescant, siue ossa pubis, iliumque, vt nonnulli Medici censent, distrahãtur, diuellanturque, siue solummodò aliquantulum dehiscant cũ Hippoc. ad finem lib. de Nat. pueri; seu os sacrum moueatur, & os præcipuè coccygis retrahatur, & versus posteriora inflectatur, vt alij quoque Medici è recentioribus memoriæ prodiderunt. Super qua tamen re iudicium suspendens dicere tantùm ego soleo; Deo & Naturæ cuncta esse possibilia. Ad idem confirmandũ nec altera debet negligi conditio de Puello minimè edito secundùm naturalem figuram seu exitum; nam & id solet quàm maximè laboriosum, imò sæpè funestum reddere partum, cum hac de causa tam fœtus, quàm fœta non raro intereant. Figura autem partus naturalis ea esse consueuit, quam nobis descriptam reliquit Hipp. lib. 2. de Morb. mul. de Nat. pueri, & alibi; Nimirum in caput puer fertur, si modò secundùm naturam prodeat. Cur verò hæc ipsa figura, & forma exitus naturalis existat, docet idem

Gal. & Auic. dicta.

In partu ossa pubis iliumq; dehiscere aliquantulum, sed nõ diuelli cum Hipp.

Os coccygis inflecti.

Auctoris dictũ super partu.

Ab exitu minime naturali.

Forma exitus partus naturalis.

Hipp. dicens, quòd puello longè ſunt partes ſupernæ grauiores, appenſæ ex vmbilico, tanquam ex ſtatera quadam aurificis, & ea quidem adamuſſim poſita; ſic enim voluitur celerius. Inſuper ſi in caput exeat puellus, cum reliquę partes ſint valde flexiles, ac veluti cereæ, eidem foras prodeunti nequeunt eſſe impedimento. Noſter autem in pedes egreſſus eſt, vt ob hanc cauſam ſolam difficilis partus eius eſſe debuiſſet. Siquidem Hipp. de Octim. partu hæc habet verba: Flexiles corporis partes impedimento non ſunt puero in caput exeunti, ſed ſi in pedes proderit, obturamenta contingunt. Quinimò de fœtu in pedes prodeunte, & 1. de Morb. mul. & de Nat. pueri ita loquitur. Periculoſum eſt in pedes exire, quia ſæpè eo partu aut mater extinguitur, aut puellus, aut ambo ſimul. Sic & Ariſt. lib. 7. de Hiſt. anim. cap. 8. poſtquàm dixit omnibus æque animalibus caput primùm ſuperius eſſe, ſed, cum creuerint, & iam exitum appetant, deorſum deduci, in hunc modum ſubiungit; Ita fit, vt omnibus partu ſecundùm naturam in caput, contra naturam in pedes, aut inflexo circumactoq; corpore agatur. Ad hanc partus naturalis, omninoq; vitalis figuram, hoc eſt, in caput factam alluſiſſe videtur Plinius lib. 7. cap. 8. dicens; Ritu naturæ capite hominem gigni mos eſt, pedibus efferri. Et à primis verbis; In pedes procedere naſcentem, contra naturam eſt; quo ar-

De fœtu in pedes exeunte.

Plinij locus de more efferendi mortuos in pedes.

gu-

gumento eos appellauere Agrippas, vt ægrè partos. Apud antiquos autem ſicut & apud nos in more poſitum, vt mortui pedibus efferantur, quia mors vitæ contraria eſt. Nec obijciatur Pueruli exilitas, paruaq; corpulentia, quia & hæc, quantulacunque ſit, in primiparis & carnoſi præcipuè, atque obeſi habitus, quibus anguſtiora cuncta inſunt, moleſta eſſe ſolet, paruuliq; fœtus ægrè etiam ab illis emittuntur, & potiſſimùm ſecundùm caput, quod quidem homo in vtero valde magnum habet proportione ſui corporis, vt colligitur ex Ariſt. 2. de Gen. anim. 4. & quarto de Part. anim. 10. Vnde extra vterum augemur valde magis ſecundùm partes inferiores, quàm ſecundùm ſuperiores, & maximè ad caput attinentes, ideò & hìc propterea caput vtrinque ad latera preſſum, qua de re infrà, vt idcircò editus quàm facillimè ſit præſens partus, quamuis figura minimè naturali, tũ propter robur facultatis expellentis vteri, Puerperæque, tum quia tempore congruo, completo, atque maturo emiſſio facta eſt. Tertium & vltimum argumentũ partus perfecti ſecundùm tempus, omninoq; ob id vitalis, colligitur ab integra Genitricis valetudine, & ex eo etiam quòd promptiſſimè omnia ad fœtum attinentia excreuerit, tametſi nunquam amplius peperit. Primiparæ enim vt non aſſuetæ & præ locorum imprimis anguſtia magis in pariendo laborant, & præſer-

Obiectio diluitur.

Homo in vtero magnum caput habet proportione corporis.

Tertia ratio partus perfecti ſeu maturi ab incul pata Matris ſanitate.

tim si partus legitimus non sit,sed abortiuus. Vnde si abortijsset,non tam mites,ac breues,sed longè acerbiores, diuturnioresq; fuissent dolores, & dubio procul aliqua exorta fuissent symptomata ex illis,quę in cũctis propè mulieribus abortientibus insurgere solent,quarum & bona pars in ipso puerperio concidit. Quare Hipp. 1.de Morb.mul. abortum peiorem esse partu, & fœminã pati magis in abortu,quàm in partu, vt ex illo identidem moriatur, memoriæ mandauit. Ratio autem assignatur,quia quidquid contra naturam est, onerosum,& molestum esse solet,sæpe verò etiam funestum;quæ causa Hippocratem, Galenumq; me iudice, impulit, vt partum legitimo tempore editum, veræ, atque perfectæ crisi compararint,contrà, abortiuum, non crisi, sed symptomaticæ excretioni, sub qua natura vehementer agitata plerumq; succumbit. Intempestiuè enim ad expellendum fœtum irritatur à triplici iam relata morbifica,sæpeq; deleteria causa,vt contingit in morbis ipsis.Non me tamen latet Paulum Æginetàm lib. 3.cap. 59. scribere quasi semper post abortum menstruorum subsequi retentionem, vnde plura, eaq;pergrauia excitantur accidentia.Sed hęc Pauli doctrina non sine limitatione admittenda,cum veritatem tunc solùm habere videatur, quando frequentes abortus fiunt. Sic enim venæ illæ,quæ secundinę colligantur,coalescere ita solent,vt amplius

Abortus deterior Partu,& qua de causa.

Cur Hipp. & Gal. partum legitimum crisi comparent.

Pauli Æginetæ locus cum limitatione intelligẽdus.

plius

plius reſerari minime queant. Alioquin videmus mulieres abortientes etiam exactiſſimè purgari. Circa igitur Quæſitum primum hæc ſit breuiſſima conclusio: Fœtum, quem edidit Adoleſcentula hæc, nouem menſium fuiſſe, & conſequenter minime abortiuum, ſed legitimo, congruoue tempore emiſſum, quiq; proptèrea ex parte temporis futurus erat prorſus vitalis, cum nonimeſtris partus omnium ſit maximè vitalis, & legitimus, quippe qui medium extremorum obtinet, & naturæ eſt maximè familiaris, & conſuetus. Succedit modò alterum Quæſitum nihilo minus arduum iam perſoluto, & eſt; Cur Fœtus editus ſit emortuus, adeoq́; exiguæ magnitudinis, & corpulentiæ; vt quadrimeſtris fuerit æſtimatus, ſi ratione temporis perfectus, omnibusq́ue ſuis numeris abſolutus erat, & in vtero ſaniſſimæ Genitricis conceptus. O quàm verè celeberrimus ille Philoſophus Anaxagoras paſſim clamabat, circumfuſa eſſe tenebris omnia, & caligine obducta. Non tamen ob id aſſentiendum Heraclito eſt, rerum cauſas deneganti, quia ſic omnis demonſtratio, & quælibet ſcientia de medio tolleretur; Nam ſcire, inquit Peripateticorum princeps, eſt rem per cauſàm cognoſcere; qui ideò etiam cunctarum rerum, quæ naturæ lege fiunt, certas, & naturales cauſas eſſe enunciauit, non æque tamen omnibus hominibus perſpectas, ac manifeſtas. Quinimò ante eum

Cóclusio primi Quæſiti.

Nonimeſtris partus cur ſit maximè omnium vitalis.

Quæſitum ſecūdum; Cur Fœtus editus emortuus, ac tabefactus.

Anaxagoræ de rerū cauſis opinio laudabilior opinione Heracliti.

Hipp.

Hipp. dictum

Hipp. in lib. de Aëre, aq. & loc. ita ſcripſerat. Nihil in natura ſine natura, hoc eſt, ſine cauſa naturali fit. Inueſtigari itaque debent cauſæ effectuum ad præſentem Fœtum pertinentium (licet hìc magis apud me regnatura ſit coniectura, quàm ratio) è quarum cognitione id vtilitatis conſequemur, vt in poſterum illis cognitis, ac præuitatis, res fœliciori ſucceſſu contingat. Poſſumus igitur cauſas tam emortui, quàm emaciati Puelli indagare vel in Matre, vel in Vtero, vel in Fœtu ipſo. Incipiamus à Matre, quæ ad corrumpendum Fœtum concurrere potuit cauſis internis, & externis, atque illis quidem aut morbificis, aut non morbificis. Ad quas quidem rimandas antequam me conuertam, non poſſum non præmittere, in hac Genitrice vix verificari quod de alijs omnibus affirmat Galenus, videlicet infantem plus ex matre habere, quàm a patre, eo quòd primùm ſemina menſtruis augeantur, mox ijſdem in vtero fœtus nutriatur, rurſum natus alatur lacte, quod eſt menſtruorum ſoboles, vt in ſumma quemadmodum quæuis ſtirpes plus ex terra quàm parente planta hauriunt, ita infantes plus ex genitrice. In ſerie primarum cauſarum poni ſolent varij morbi cùm ad vterum ſpectantes, tum ad alias corporis partes, quibus fœminæ tempore grauidationis correptæ, facilè inde in condolentiam vtero deducto, eiuſque coaffectis facultatibus, inſitoque debilitato

Cauſæ quæruntur in Matre, Vtero, ac Fœtu ipſo.

In Matre, intrinſecus.

Gale. dictum de infantibus plus ex matre, quàm à patre habentibus, an hoc in caſu verũ ſit, dubitatur ab Auctore.

to calore, fœtum imbecillem & infirmum reddunt, ac perſæpe enecant, conuenienti & neceſſario eidem alimento aut vitiato, aut abrepto. Verùm quia Puerpera noſtra nullo vnquam totius geſtationis in vtero tēpore morbo laborauit, imò ſana ſemper, & præuegeta fuit, non eſt cur in huiuſmodi perſcrutandis cauſis diutius inutiliter immorer. Inter alias verò cauſas, quas non morbificas libuit appellare, duo genera cauſarum libenter referrem, quarum aliæ connaturales, aliæ quodammodo præter naturales rectius vocari poſſe videntur. Ad primum genus redigo inſitam στενοχωρίαν, ſeu vaſorum, locorumque anguſtiam, & denſiorem, ac pleniorem corporis habitum, eo quòd videtur eſſe de numero illarum mulierum, quæ minime amplas habent venas, ſed tenues, & exiles, & in quibus ſanguis in carneam, atque muſculoſam, ſeu etiam obeſam molem abit, & tranſmigrat, de quibus Aetius lib. 4. cap. 51. Cuiuſmodi mulieres per Hippocratem ipſum 5. Aphor. 46. & in lib. de Superfæt. vel non concipiunt, vel abortiunt, & nullo modo fœtum vitalem emittunt, cùm alijs de cauſis, tum quia ſubtrahunt illi alimētum, quod ferè totum in ſui naturam commutant, præſertim ſi ſint, vt hæc Adoleſcentula, in ea ætate, quæ plurimum obtinet caloris innati, & in qua corporis incrementum maxime viget. Vnde hæc grauidationis tempore, quo

Quænam mulieres ſint cōceptui ineptæ.

quo etiam multum comedit ac bibit, ampliorem quàm antea habitum manifestè consecuta est, vt nutrimētum quod pro Fœtus nutricatu inseruire debebat, Genitricis natura de indiuidui magis cōseruatione, quàm de speciei propagatione sollicita ad propria membra maiori ex parte attraxerit, vtero cum Fœtu posthabito, ne dicam quòd alimenti defectum pro Puelli nutritione causare fortasse quoque potuit, quòd nunc primùm vtero gesserit, quoniam quæ amplius grauidæ non fuerunt, minus habent alimenti, quia sanguis ad locos, & vterum cursum flectere solitus non sit. Ad aliud causarum genus referatur alimoniæ defectus, ob præpeditam anadosim in venulis sanguinem ad vterum deuehentibus, subortis videlicet obstructiunculis in ijs ab humoribus pituitosis, à capite partim, & partim à ventriculo demissis, de quibus non est cur dubitatio oriatur, cum ante cōceptionem in vtero factam, sæpe ac sæpius imminutas, & aliquando vitiatas haberet menstruas purgationes, quæ tamen reserantium medicamentorum, quæ à Medicis valetudinem regentibus instituebantur, & præcipuè aquæ stillaticiæ capillorum veneris vsu facillimè reuirescebant. Vnde responderi obiter hoc in loco potest Quæsito olim mihi promoto; cur nimirum, cùm diminutas habebat purgationes, statim decolor fieret, & ad motum pigra, tempore verò gesta-tio-

Primipararū conditio.

Alimenti defectus ex infarctu.

Quæsitū; Cur Adolescentulæ color floridus, & perfecta sanitas

tionis in vtero, floridi ſemper fuerit coloris, motu agilis, & mirè ſana, cum præſertim dicat Ariſt. 7. de Hiſt. anim. 4. Paucis contingit, vt melius habeant, cùm vterum gerunt; Nam mulier, vt inquit Hipp. 1. de Morb. mul. vtero gerens tota fit cum virore pallida, quoniam purus ipſius ſanguis quotidie ex eius corpore detrahitur, & ad fœtus nutritionem deſcendit. An quia ſcilicet craſſus fœdatusq; ſanguis, cùm vtero non gerebat, in viſcerum vaſis reſtitabat, vitians quoquo pacto ſanguineæ maſſæ puritatem, nitoremque, poſtea autem conceptus Embryo debilis, atque infirmus, vt dicetur, quidquid erat atri, aut aliter impuri ſanguinis, pituitoſi nempe & bilioſi, ad ſe alliciebat, condonante eum facile Matris natura, quæ alioquin renitebatur pro puro & euchymo, quem proprijs membris aſſimilabat? Accidit enim in vtero fœtui cuilibet quod nobis omnibus etiam grandioribus tēpore aporiæ, ac egeſtatis, dum cibis & alimentis probi ſucci caremus, & prauis omnino, cacochymisq; veſci cogimur, ad vitam, prout melius poteſt fieri, ſuſtentandam: Vnde poſtea morboſus apparatus, & euidens occaſio ægritudinum deleteriæ etiam conditionis exurgunt in noſtram perniciē, iuxta Græcorum dictum λοιμὸς μετὰ λιμὸν: Peſtis poſt famem. Quare & hæc vna eſt non minima illarum cauſarum, quæ ad noſtrum Fœtum deperdendum per vitiatam nutritionem concurrerunt.

ex imminutis tantùm menſibus aliquantulum vitiarentur, ſuppreſsis autem ob grauidatione nequaquam.

Solutio.

Tempore penuriæ tam in vtero, quàm extra ſumi quidquid offertur.

Græcorū dictum de Peſte, ac Fame.

Quo ſanguine Fœtus in vtero nutriatur, puro ne, an impuro,& quando hoc, vel illo.

runt. Vbi etenim eſt in vtero infans ſanus & validus, nec matrem habet adeo renitentem, cuiuſmodi eſt, cuius corpus augeri iam deſijt, & inſitus calor non eſt adeò viuidus, trahit proculdubio ad ſe puriorem genitricis sãguinem, quo perbellè nutritur & augetur, at ſi ſint mater & filius, vt in caſu noſtro, praua & imbecilla nutritio in fœtu fiat oportet. Quinimò non deſunt qui contendant, eundem in vtero nutriri promiſcuè tam impuro, quàm puro materno ſanguine, neque ſolùm poſtremis menſibus, & cùm grandior factus eſt, quod facilè concedi poteſt, quia tunc valdè copioſo indiget alimento, idque vel Gal. teſtimonio 1. de Sympt. cauſ. cap. 7. ſed etiam toto grauidationis tempore, quod de nonnullis natura viuidioribus & magno præditis calore verum poſſe eſſe non negauerim. Attamen cum Galeno, Auicenna, & alijs fœtus in vtero meliori chymo nutritur.

Reſpõſum ad obiectionem exẽpli de mulieribus tempore geſtationis omninò ſanis, extra verò ęgris, & præteritum de quadam vtero gerẽte ſana, poſtea arthriticis doloribus obnoxia.

Nec valet contra communiter acceptam doctrinam exemplum quod obijci poſſet, de quibuſdam mulieribus, quarum corpus vitioſis ſuccis oppletum eſt, quæ tunc magis valent, cùm vtero gerunt, vt nec de quadam nobili Foroliuienſi obſeruata, dum grauida erat, ſana vndique & incolumi, à partu verò èdito, tempore illo intermedio, arthritide vexari ſolita, quaſi in ipſa grauidatione prauorum ſuccorum cumulus in puelli abſumeretur alimẽtum, de qua teſtis vnà mecum ſit An-

tonius

tonius Maria Rubeus Rauennas vir doctrina, & iudicio pollens, filiusq; Hieronymi illius celeberrimi, & olim Clementis Octaui sanctissimæ recordationis Medici cubicularij; quoniam quantum ad primas mulieres, dum scatent prauo sanguine, cuius vitio similiter parùm sanę degunt, grauidatione facta, & earum natura meliorē pro viribus indiuidui partibus assimilante, quod reliquum est fœtui condonant qualecunque sit, quo laudabilioris penuria à fœtu absumptò, & exhausto, illæ deposita cacochymia melius habent, donec iterum colluuies coaceruatur, quæ in earum venoso genere, alijsq; corporis particulis immorans symptomata pariat; Alioqui enim perpaucis contingit, vt melius habeant cùm vtero gerunt, præsertim sanum, validumq; fœtum, qui ab illis etiam inuitis valenter sanguinem trahat. Quantum verò ad aliam mulierem aliter responderem, quoniam scilicet sanguinei habitus erat, vt etiam ex eius fœcunditate colligi potest, & à sanguinis exuberantia dolorum articularium origò, quo veluti per modum metastaseos, seu per palyndromin ad vteri loca nutricatus fœtus gratia confluente, artubusq; relictis, dolores euanescebant, qui rursus ab excluso fœtu pullulabant, quòd forsitan non lactaret, & ideò exundans sanguis ad imbecillas partes recurreret. Insuper dato etiam, & vndequaque concesso, huiusmodi dolores non à sanguine,

ſed ab excrementitijs humoribus in ea fœmina ſubortos fuiſſe tempore quo vtero non geſtabat, & conſequenter dum prægnans fiebat, humores illos vnà cum ſanguine ad vterum affluxiſſe, doloribus ſedatis, nō hinc tamen deducendum, conſumptos tunc eos à fœtu propriæ nutritionis gratia, niſi & ei probabilior defuiſſet chymus, vt ante dicebam; quoniam iam conſtat ex Auicenna, cuius verba infrà opportuniori loco referam, deteriorem materni ſanguinis partem ab euchyma ſecerni, eamquè in vtero moram facere vſque in dies partionis, & vacuationis lochiorum, alteram verò partim ad mammas pro lactis fabricatione conſcendere, partim ibidem pro fœtus nutricatu reſtitare. Ideo quando Hippocrates lib. de Nat. pueri cauſam quærit, ob quam vltra decimum, & vndecimum menſem geſtare non poſſit mulier, eam ad alimenti defectum refert, qui duplici nomine fit, vno quòd maxima ſanguinis portio ad lactis generationem refluat in mamillas, altero quia fœtus dulci tantùm, & puro ſanguine alitur, qui à matre amplius ſuggeri non poteſt. Contingunt verò hęc Fœtibus ſecundùm naturam, & optimè habentibus, quia ſi parui, frigidi, ac imbecilli ſint, & matre conditionis ſuprà ſignificatæ potius ſibi quàm filio conſulente, ordo peruertitur, & fœtus qualicunque, & quantulocunque à genitrice oblato ſanguine veſci cogitur, licet inde mor-

Triplex menſtruorum ſubſtantia.

Cur mulier vltra vndecimum mēſem geſtare non ſoleat.

morbosus, imperfectus, & neutiquam vitalis frequenter euadat, vt nostro huic accidisse luce meridiana clarius apparet, in quo sanguis maternus pro eius nutricatu nullo pacto idoneus fuit, tam si copiam, quàm si qualitatem etiam spectes. Quare nulli mirum esse debet, si Mater extra tempus conceptionis, imminutis quoquo pacto mẽstruis, paulò post purpureum amittebat colorem, & de quodam grauitatis sensu toto in corpore querebatur, contrà verò in ipsamet gestatione insitum nitorem cum perfecta valetudine retinuit, quia hoc tempore maiorem, ac meliorem sanguinis portionem in proprium nutrimentum, atque incrementum transmutauit, pauculo, eoque impuriore, à quo interdum extra grauidationem restitante aliquod ipsi incommodum accedebat, Fœtui ἀδυνάτως trahenti concesso. Externæ verò causæ quamplures esse possunt, quas tamen ego nostro in casu tres solùm fuisse reor, quæ videlicet in Fœtus ruinam & ipsæ conspirare potuere, corporis imprimis exercitationes immodicas, sub quibus comprehẽdo cursus, saltus, & casus etiam; Nam bis & amplius concitatiori motu currendo cecidit, longè tamen à tempore partus. Quare non est cur emortui Fœtus, velut exclusionis eiusdem causam ad casum tantummodo reducamus, quia cum Hipp. 7. Epid. 71. quando mulier grauida ictu, casu, plaga, aut quauis alia extrinseca ve-

Nutri in præsentis Fœtus cur malè facta sit.

In eadem extrinsecus.

Hippo. locus de casu, & ictu grauidarum.

he-

hementia abortit,id trium dierum ſpatio contingere ſolet, præcedentibus doloribus immoderatis & maximis ſecundùm lumbos, & fęmora. At noſtra hæc Puerpera ſtatim ſe à lapſu,ſiue caſu erigens de nullo prorſus dolore, nullaq; triſti ſenſatione,aut moleſtia haud conqueſta vnquam fuit. Ideo non debet hęc ſolùm adduci extrinſeca cauſa, præcipuè quia inter caſum, & partum plures interſuere dies. Attamen minime,vt arbitror,negandum illum errorem Fœtui iam debili, alijsq; internis affectionibus, & cauſſis momenti aliquid addere, atque afferre potuiſſe, ſi agentium opera in patiente opportunè diſpoſito promptius & facilius exercentur. Quandoquidem,ſi vt cum Galeno fructus colligantur proprijs arboribus, ita fœtus pariter colligatur vtero, & velut fructus concuſſionibus, & ventis vel immaturi & validè arboribus adhæreſcentes decidunt, ita & fœtus ex nimijs motibus, & violentis concuſſionibus, vnde fit abortus, quantò magis à tali cauſa id ipſum eueniet fœtui iam ratione temporis maturo,& ad exitum præparato? Nec magnifacienda eſt obiectio,quæ contrà poſſet fieri, ſi non à cauſa extrinſeca, & procatarctica hæc deperditio facta fuit, ergo à Matre morboſa, quæ tamen ſaniſſima ſtatuitur; Nam morboſa tenetur illa mulier, quæ identidem mortuos edit, aut in qua pariter ſymptomata grauia obſeruantur,quod de noſtra Adoleſcen-

Obiectionis ſolutio.

lescentula dici minime potest, quæ sana semper vixit, & alias ob causas etiam non morbificas, easque intimiores Fœtum hunc primum pessundedit. Secunda causa externa videtur mihi esse potuisse communis illa Adolescentulis omnibus recenter nuptis, eo quòd violenter nimis agitatur fœtus, ex qua ingenti crebraq; commotione, aut etiam compressione, debilior antea redditus cùm esset nutrimenti penuria, facilè fieri potuit, vt ab hoc magnum contraxerit detrimētum. Tandem de censu causarum externarum crediderim esse similiter potuisse multitudinem ciborū, & copiosum potum cùm vini, tum maximè frigidæ aquę. Vtriusque enim excessus quanti faciat ad lædendum & vterum & fœtum ipsum præcipuè, clarè nos docuit Hippocrates lib. 1. de Morb. mul. Imò idem Hippocrates lib. de Aëre, aq. & loc. ait frigidam, & crudam grauidis valde nocuam esse, & post ipsum Arist. de Gener. anim. cap. 2. Ideò Galenus, vt recitat Rhases 9. Cont. interpretans locum Hipp. adductum dicebat tempore suo Romæ fuisse multas mulieres steriles, ob nimium aquæ potum; quod tamen etiam de vino accipi potest, vnde & potulentæ nimis, præsertim si potens ac meracum vinum sit, & ipsæ calidæ temperaturæ, difficulter concipiunt; super qua re legatur Philosophus in Probl. Apud quem allato de Generat. anim. loco traditur causa propter quam talis

Potulētæ mulieres vix cōcipiūt ex Galeno & Arist.

Quomodo aqua cruda, ac frigida cōcurrat ad sterilitatem, aut fœtus imbecillitatem.

talis aqua ita conceptui incommodet, vt vel nullo modo fiat, vel fœmineus, aut omnino debilis, morbosus, ac imperfectus producatur. Quia nimirum aqua cum deuehat nutrimentum per venas ad singula corporis membra, si cruda fuerit, ac nimis frigida, qualis potissimùm glacie, seu niue refrigerata, non potest alimentum quod ab ea defertur, & partes ad quas illud ipsum deuehit, ac proinde membra generationi dicata non refrigerare, sicque vim & sanguinis & seminis maximè prolificam, calore nixam Aristoteli, aut penitus extinguit, aut plurimùm eneruat. Ita nuperrime in Vrbe accidit, vt Excellentissima Mulier puellulam enixa sit quadrimestrem, semiuiuam, & manifestè hydropicam, cuius abortiui, hydropicique fœtus causa principalis refertur ad copiosum aquæ Nocerianæ potum, quæ posteà minimè excreta, sed intus retenta, si conceptus initium inhibere non valuit, eius sanè felicem progressum ob refrigeratum nimis sanguinem, debilitataq; generationis loca impediuit. Ne sileam quòd illo etiam tempore Vir eius easdem aquas abundè ingessit. Et hæc de fœmina, aut Matre in vniuersum, vt aiunt.

Historia puerulæ hydropicæ, ac semiuiuæ editæ.

Accedamus modò ad vterum, in quo specialiter nostra celebratur generatio, cuiusq; calor innatus vnà cum eius ingenita proprietate ille est, qui seminis sopitam, & delitescentem potestatem suscitat, seu de potétia ad actum reuocat calorem, vel

In Vtero.

vel ſpiritum ſeminibus implantatum, & iure merito non exurenti ignis, ſed viuifico aſtrorum calori comparatum, cui propterea vtero ceu telluri, in quam cerealia proijciuntur ſemina, maxima vis ineſt alterandi, aut ad meliorem, aut deteriorem conditionem, conceptus naturam. Vnde Hippoc. 1. de Morb. mul. Habent, inquit, & vteri naturas peculiares & quaſi congeneres, quæ vitiant fœtum, abortumq; faciunt; inter quas quidem naturas vteri paruitatem connumerat, de qua nos infrà. Interim dicamus habere vterum in generatione fœtus rationem cauſæ, quam dicimus ſine qua nõ, velut eius temperies rationem habet cauſæ adiuuantis. Nam cum ſemina actu nõ ſint animata, ſed δυνάμει tantùm, & ideo quaſi entia imperfecta, alieno indigent vt excitentur principio. Quare vterus multifariam agit, nimirum ſemen trahendo, permiſcendo, retinendo, & vtriuſque vim latẽtem ſuſcitando, quæ poſtrema vteri actio conceptio dicitur. Vterus itaque non vt morboſus potuit ad hunc Fœtum corrumpendum concurrere, hoc eſt, afflictus morbis, aut in mala intemperie, aut in ſoluta vnitate, aut in mala compoſitione, ideſt, tumoribus præter naturam, quia Adoleſcentula de partibus illis nunquam conqueſta eſt, ſanaq; & incolumis ſemper fuit, ſed fortaſſe, quod Deus auertat, vt vitiatus ſecundùm malam conformationem naturalem, quia nimiùm

Seminis calor aſtrorũ, non ignis calori aſsimilatus.

Vterus in cõceptus generatione habet rationẽ cauſæ ſine qua non, & adiuuantis.

densus sit; condensatio enim substantię totius vteri, vbi naturalis est, nam & naturalis & præter naturam esse potest, Galeno auctore 3. de Symptomatum caus. necessariò habet adiunctam vasorum angustiam, aut quia ob nimiam obesitatem redditus adeò angustus sit, vt amplè, ac sufficienter dilatari minime potuerit, sicque Fœtus veluti compressus, ac inter angustos locos coactus, ampliore ad incrementum spatio destitutus, nec debitum augumentum, nec conueniẽtem vigorem habuerit; quantumuis etiam non defuisset copia nutrimenti, & quàm maximè laudabilis. Propterea receptũ est apud Medicos quòd quemadmodum vteri amplitudo, ac spaciositas, dummodo cætera concurrant, parentes nempe vberiores genituras suggerant, alimentariaq; materia conuenienter affluat, amplum quod in ea fit procreare solet, ita ex aduerso, si vuluæ alueus angustior fuerit, quantumuis seminalium recrementorũ quantitas adsit, & alimentaria muliebria tantisper affluentiora affatim suppetant, nihilominus inde non nisi tenuis, pusillaq; corporis magnitudine partus egrediatur. Vnde manat potissimùm tam multiplex, tamq; mira nostrorum corporum diuersitas in magnitudine, paruitate, obesitate, & gracilitate, vt alij edantur proceræ staturæ, alij nani, & pumiliones, quidam molis amplæ, & quidam alij tenuioris, nonnulli tandem medię cuiusdam

Corporũ diuersitas in proceritate, paruitate, magnitudine, & gracilitate vnde proueniat.

dam naturæ, videlicet non modò pro genituræ-rum,& materni ſanguinis vbertate, inopiaue, ſed & pro locorum vteri capedine; Quò pariter rediguntur Pygmæi illi ad extremos Indiæ fines ternos longitudine dodrantes non excedentes, quos à gruibus infeſtari Homerus prodidit,& quos fama eſt ſagittis armatos arietum caprarumq́; dorſis inſidentes, verno tempore ad mare vniuerſo agmine deſcendere,& cùm oua, tum pullos earum alitum conſumere, ternis eam expeditionem menſibus perficientes. Alioquin fieri, vt futuris gregibus reſiſtere nequeant, quos propterea in cauernis viuere tradit Ariſtot. Pugnantes enim vincuntur etiam in Thracia, Plinio auctore lib.4.cap.11. vbi Geraneam vrbem eos tenuiſſe ſcribit, donec à gruibus fugati, nouas ſibi ſedes quærere fuerint coacti. Ad quod ſpectare videtur illud Iuuenalis ex Satyr. 13.

Ad ſubitas Thracum volucres, nubemq́; ſonoram
Pygmæus paruis currit bellator in armis.
Mox impar hoſti, raptusq́; per aera curuis
Vnguibus, à ſæua fertur grue; ſi videas hoc
Gentibus in noſtris, riſu quatiere: ſed illic
Quanquam eadem aſsiduè ſpectentur prælia, ridet
Nemo, vbi tota cohors pede non eſt altior vno.

Horum autem mulieres dicũtur quinto anno parere,& ſeneſcere octauo. In quibus vterus paruitati corporis reſpondeat neceſſe eſt. De quibus qui-

dem populis Scholiast. in 3. Iliados, Plinius lib. 7. cap. 2. & D. August. lib. 16. Ciu. Dei. Contingit autem hac in re quod in fructibus, qui quanquam sua vi, suapteq; natura grandiores adolescant, in arctiore vasculo à primordio generationis coerciti excrescere vltra vasculi limites, eo impediente, neutiquam possunt; De qua etiam perpulchrum exemplum extat apud Hipp. 1. de Morb. mul. de cucumere, dum iam ipse adhuc & crescit in cucumerario, & vase recluditur angusto, aut ampliore. Vnde & Auic. lib. 3. fen. 21. tract. 1. cap. 2. Causa autem, inquit, in staturis quandoq; est diminutio, quæ est in ipsis propter materiam paruam, & propter paruitatem nutrimēti apud creationem, aut propter paruitatem matricis, quare non inuenit fœtus dilatationem in ea, sicut accidit fructibus qui ponuntur in loco angusto, cùm sunt adhuc immaturi; quare non fit additio super eos. Quam ob rem Infans præsens cùm materni alimenti inopia, tum angustioris fortasse etiam vteri vitio redditus in dies & horas infirmior, ac paulatim tabescens, tandem circa partum, quo tempore fœtus omnis vel robustissimus magnam subire solet alterationem, exolutis spiritibus obijt. Accidit enim, appropinquante partu, tam nascituro fœtui, quàm matri, quod instante crisi naturæ ægri cum morbificis humoribus, nimirum illud quod ait Hippocrates 2. Aph. 13. Quibuscunque

De Pygmæis ex Homero, Plinio, & D. Augustino.

Exemplum de cucumere apud Hipp.

Consimile apud Auicennam.

Instāte partu, sicut instante crisi cur grauia quædam appareant.

cri-

crisis, ideſt, iudicatio fit, ijs nox grauis ante acceſſionem. Et 2. Epidem. ſect. 5. tex. 21. Si tenente febre, quæ circa faciem macilenta ſint die legitimo, ſequenti die ſoluetur. Siquidem duabus partibus criſim conſtare nemo ignorat, nempè anxietate, doloribus, & difficultate, quæ cuncta tempore, quo ſecernuntur mala à bonis, eniteſcunt, ſignaq; ſunt critica, ad quæ reſpiciens Galenus in lib. de Criſibus memoriæ mandauit, generoſi Medici eſſe non terreri ſymptomatis, quæ circa criſim apparent; & euacuatione malorum, quæ conſequitur, quibus eductis adfert vel totalem morbi ſolutionem, vel ſaltem remiſſionem, niſi mala criſis exiſtat. Solutionem inducit cùm optima omnino criſis eſt, quæ inter alia hoc debet habere, vt fiat die legitima, ac decretoria; remiſſionem, quando eſt tantummodo bona, ſed cui aliquid bonorum deeſt, vt ſi fortè dies in optimis non ſit. Quamobrem autem impendente iudicatione conturbatio effatu digna præire ſolita ſit, exemplo ſatis accommodato Philotheus demonſtrat illis in verbis. Vt enim athleta, vel miles, impendente certamine, perturbatur, & prius rectè accingitur, cùm ſecum cogitauerit qua ratione inuadendi, vel declinandi ſint hoſtes, ita natura prius turbatur, & excitat ſuas ipſius vires ad expellendam, & alterandam materiam facientem morbum, & hac de cauſa laboratur, vt mirandum non

Hipp. loca illuſtrata.

Gal. dictum de Medico generoſo.

Perpulchra Philothei cóparatio.

ſit,

ſit, ſi toto in corpore magna adſit perturbatio, & potiſſimùm in facie, in qua velut in nitidiſſimo ſpeculo intimiores omnes affectiones eluceſcũt,& propterea etiam macilentia,aliò conuerſis humoribus. De hac ipſa turbatione in fœtu,impendente,non modò præſente partu,locutus eſt Hipp. ab initio ſtatim lib. de Octim. part. vbi cauſas indagat, cur talis emiſſio vitalis non fiat, ſed ſemper octauo menſe editus fœtus emoriatur, quantumuis circa partium delineationem,ac perfectionem abſolutus vndequaque ſit; Referens enim hoc ad duas maximè cauſas, nimirum, vt ipſe ait per interpretem, in duas ſibi inuicem ſuccedentes afflictiones,quas ferre cum nequeat infans, neceſſe eſt deperdatur,haſce binas afflictiones eſſe vult,quòd ſeptimo menſe exire tẽtans vehementer colluctatus eſt, & eundem poſtea conatum in octauo repetens,nondum refectis (vt ipſe cenſet; nam Valleſius miratur, quomodo vnius menſis interuallo priſtinum robur non aquiſierit)viribus,ſuccũbat, dum ad mala, quæ in vtero perpeſſus eſt, tentati, ſed irriti partus,aut exitus occaſione,dolores ſimiliter partionis accedunt. Vnde conſtat prope partum magnopere,vt dicebam,alterari, plurimùmque laborare puellum, quemadmodum & natura ægrotantium in morbis,quibus inſtat & quantocyus facienda præ foribus eſt iudicatio. Quam commotionem ferre non valens Fœtus præſens ex

Octimeſtris partus cur vitalis non ſit ex Hipp. altera cauſa.

nimia

nimia virium eius imbecillitate mortuus est, ante quàm nasceretur. Opinio autem, vt vnde egressi reuertamur, vel potius suspicio de vteri angustia confirmari quodammodo posse videtur, quòd in hypogastrij regione, sub qua vterus, nulla eleuatio, aut extuberantia potuit animaduerti; attolli enim debebat aliquo pacto venter; vt hinc maior fœminarum pars crederet hanc vtero minimè gerere, à qua fortasse etiã causa motionis fœtus imperceptibilitas. Nunquam enim motum dignoscere valuit, siue sermo sit de motu vitæ, vt aiunt, manifestatiuo, siue etiam de prodromo, aut indice partus. Quorum quidem motuum primus solet in omnibus esse admodum obscurus, septuagesimoq; die incipit fieri, iuxta mentem Hippocr. 2. Epidem. sect. 3. & lib. de Alim. licet 1. de Morb. mul. tertium mensem in maribus, quartum verò in fœminis primum statuerit motus initium; fortasse quia manifestior tunc est, imò & aspectabilis intuenti, & manum hypogastrio admouenti tractabilis. Sed in nostra Adolescentula obscuri motus omnes & abditi prorsus, vel hi, qui prope pariendi tempus concitatiores esse solent. At hanc vteri angustiam omnino deneganti non difficile erit hæc ipsa ad infirmum, & extenuatum nimis Fœtum ex alimenti subtractione referre. Contrà quam etiam coniecturam arguere posset aliquis, nostram Puerperam hoc ideò vitio carere,

Vnde Vteri adstruatur angustia.

Duplex motus in vtero à fœtu; Vbi cõtradictio in verbis Hipp. sedatur.

Obiectio cõtra adstrictionem.

re,

re,quoniam optimum vndecunque prȩſefert corporis habitum, viſceraq; omnia illæſa, & rectè ſe habentia obtinere videtur,& conſequenter etiam

Solutio. vterum. Quæ tamen obiectio non ȩſt apud me magni admodum momenti, quia vt in corporibus noſtris dantur inæquales viſcerum dyſcraſiæ, adeò vt è viſceribus ipſis alterum quidē frigidam prorſus, alterum verò omnino calidam obtineat intemperaturam,ſic pariter contingere interdum poſſe putauerim, vt aliquis valde amplum habeat hepar,vt de helluonibus ait Auic.ventriculum verò valde paruum. Vnde Gal.2.Art.Par. meminit puſilli ventriculi, rotundiq; velut etiam Foreſtus lib.18.Obſer.35.Hoc idem ergò aliquoties in aliquibus mulieribus circa vterum euenire cur non poteſt? Vt videlicet vterus vitiata conformatione ſeu inſita,ſeu aſcititia longè differat ab alijs ſupernis viſceribus?. Quinimò conſtat omnibus hanc Puerperam non multis ab hinc menſibus, & ipſo grauidationis tempore,craſſioris multùm,& obeſioris factam eſſe habitus. Quo ſanè habitu præditas mulieres volebat Hipp.1.Aphor.46.ad conceptionem eſſe ineptas,nec ante concipere, quàm ſint redditæ graciliores. Quem ſermonem poſſum ego interpretari non cum Gal. de pinguedine omenti os vteri comprimente,vt aditu ad vterum ſemen viri prohibeatur, ſed de pinguedine vtero ipſi adnata cum Philotheo,metaphoricè ab Hip-

Hepar valde amplum quinam habeāt.

Vētriculi puſilli apud Gal. & Foreſtum.

Hippo.locus enarratus cū Philotheo,nō cum Galeno.

Hippoc. sub omenti nomine comprehensa, quòd omentum adiposum sit: Præ qua quidem vterus crassior & ipse euaserit, & consequenter secundùm cauitatem angustior, vt in eo conceptus probè, & vndequaque, iuxta saltem omnem dimensionem, incrementum capere, & motum ciere non potuerit. Ita similiter apud Hippocratem 1. de Morb. mul. tex. 14. describitur pinguedo, & crassities osculi vteri, quæ maximè impedit conceptionem, licet diuersa ex causa, nimirum quia semen non excipitur, qua de re agit etiam lib. de Aëre, aq. & loc. cùm de Scythiæ populis loquitur; Id quod cognouit Arist. qui lib. 7. cap. 3. de Hist. anim. ait; Nec verò si crassa sunt oris vteri labra, commodum præstant vsum ad conceptionem: Quamobrem, vt mulier, dum pinguior euadit, vteri osculo crassiori reddito, semen non excipit, sicq; fit conceptionis impedimentum, ita excepto iam semine, retento, & inde inchoata fœtus formatione, si interim ampliorem assequatur corporis molem, & obesitatem, & consequenter in partibus quoque ad vterum pertinentibus, equidem non video cur iam concepti fœtus progressio ab vtero crassitiei causa angustato prępediri nequeat. Iam enim receptum apud omnes est, vteri constitutionem sequi vt plurimum constitutionem totius corporis, vt tenui existente corporis substantia, tenuis quoque sit vterus ipse, contra illa crassior,

Vna è causis sterilitatis.

ſior, & pinguior dum fit, talem quoque & vterum euadere. Doctiſſimus Valleſius Comm. ad lib.Epidem 2.ſect. 3.tex. 25. Eſt, inquit, quoddam genus ſterilium (vt Hipp. ipſe libello de ſterilibus dicit) quæ concipere quidem poſſunt, tamen non poſſunt deinde retinere, propter craſſitiem, aut humiditatem, aut ob exiguitatem vterorum, aut quòd omnino dilatari pro fœtuum magnitudine non poſſunt. Quòd enim vteri anguſtia ſummopere valeat ad impediendum ſi non omnino conceptum, ſaltem progreſſum illius, ita apertè docuit Hipp. cui & ratio à natura rei deprompta quàm maximè fauet, vt mirer de quibuſdam magni alioquin nominis Medicis id ipſum tanquam falſum oppugnantibus. Nam dato etiam, quòd libri de Superfœt. & de Steril. germani non eſſent, in quibus hoc meridiano Sole clarius elucet, & de vtero per medica auxilia extendendo, ac dilatando agitur, an idem ſenſus erit de lib. Morborum mul. quos tanquam genuinos & Hippocraticos vel ipſe Galen. adducit? In primo itaque libro de Morb.mul. apertis verbis aſſertur doctrina hęc de vteri anguſtia ad fœtum deperdendum. Dum etenim vterus eſt iuſto minor, & fœtus ad quandam magnitudinem perductus nequit amplius ob vteri paruitatem augeſcere, neceſſe eſt, vt perdatur, nempe, vel vt abortus tunc fiat, vel, ſi ad debitum vſque tempus in vtero geſtetur, tandem nihilomi-

An Vteri anguſtia faciat ad corrumpendum fœtum.

minùs tabidus, & instar abortus neutiquam vitalis edatur; Attamen non desunt qui vteri angustiam posse quidem auferre incrementum & magnitudinem fœtus, sed minime vitam contendunt, vt suprà de nanis, atque pygmæis dicebatur, eo quòd loci angustia nihil aliud faciat, nisi quòd prohibet dilatationem carnis, iuxta eum modum, quo nonnulli, vel assertore Philosopho in Probl. conseruare solent catellos paruæ molis, quos, statim ac nati sunt, in angustis vasculis concludunt; vnde illis aiunt præpediri quidem auctionem, at vitam minime auferri. Contrà ego existimo, si vterus iusto angustior in Adolescentula concedatur, ad eum redigi quoque posse causam cùm adeo malè nutriti Fœtus, tum internecionis eiusdem, quoniam vbi paruus, & angustus vterus est, parua similiter exiliaque in eo adesse vasa concedere oportet, sed vbi talia vasa sunt, illuc paruum nutrimentum deuehatur necesse est; ex quo fit, vt fœtus alimento orbatus ante tempus iuguletur; Nec exemplum de catellis quidquam in oppositum probat, (parcant mihi Mercurialis manes, quem etiam notare in eo possem, quod scripsit Galenum nunquam de hac vteri paruitate locutum fuisse) quoniam licet illi angusto loco concludantur, præ cuius angustia & coarctatione, secundùm carnem, non valdè amplam molem obtinere valent, robore tamen non indigent pro at-

Opinio Mercurialis, & aliorum quorundam non admittitur.

tractione, & magna admodum elaboratione alimenti, quoniam id promptè extrinsecus illis offertur mirè conueniens, vt in vita conseruentur, adeo vt in hoc dici summa cum ratione possit Physicum illud axioma; Naturalia differre ab ijs, quę arte fiunt. Possum denique doctrinam hanc de vteri paruitate, vitali, saltem pro hac prima vice, conceptui formando inepta magnopere confirmare conuenientissimo Galeni testimonio ex lib. 14. de Vsu part. cap. 4. cum ait; Vterorum opus, neque dum augentur adhuc animalia, neque iam senibus factis, contingit probè fieri: in senescentibus enim propter imbecillitatem virtutis non coquitur benè alimentum, vt amabile sit eis, si ad propriam vtilitatem construi sufficit: in eis verò, quæ augentur, virtus quidem est fortis, & propter hanc benignum, & concoctum nutrimentum plurimum, sed conuenienter natura in duas actiones eo nutrimento vtitur, scilicet nutritionem, & augmentationem, nihil dimittens superfluum. In solis igitur florentibus & vigentibus, ceu augmento iam cessante, & virtute adhuc forti existente benigni nutrimēti copiosa est abundantia. Et propter hoc natura quidem in ijs animalibus maximos efficit vteros, in imperfectis verò, & illis, quæ senuerunt, paruos. Quem Galeni locum refert etiam Mathæus Curtius suis in Comm. ad Mund. Anat. vbi & hæc addit Medicus ille & Anatomicus.

Physicū axioma.

Pro hac de Vteri paruitate vitali cō ceptui inepta comprobanda opinione duo testimonia cōuenientissima.

Alterum Galeni.

cus percelebris: Ex quibus verbis facilè cognosci potest, quàm minime mirum sit, si viro & fœmina adolescentulis existentibus, fœtus imperfecti producuntur. Et paulò post, Hac de causa cauendum est, ne tam citò nubant, præcipuè mulieres, quæ materiam conferunt ad generationem. Hactenus de Vtero. Demùm ratione Fœtus, imbecillitas eidem, tabefactio, & mors ipsa contingere potuit. Vbi enim facta est in vtero conceptio, quæ postrema actio eius est, cessat ab omni opere vterus ipse, præterquam quòd fœtum continet, conseruat, fouetque, iuxta illud: Locus locati est conseruatio; & ideò tota agendi vis, nimirùm formandi, nutriendi, & augendi fœtui relinquitur, qui, si à primordijs genitus sit imbecillis, præfatas operationes integrè exercere neutiquam valet. An aliquem hìc locum habere potuit quod ab astris, eorumq; adspectibus promit Ptolemæus lib. 3. Præd. astr. cap. 9. De natis qui nutriri non possunt, sed mox extinguuntur? Post multa enim Astronomiæ peritis quàm notissima hæc adijcit: Si autem duæ fuerint oppositiones, ita vt in cardinibus sint lumina, & maleficæ efficiant trigonum duorum æqualium laterum, nascuntur vel mortua, vel semiuiua. Quod paulò ante dixit euenire, quia tunc nutricatio fœtui deest. Chaldæus ego non sum, nec cæli signa ita saltem exactè coguosco, vt putem illis tantam haben-

Alterum Mathæi Curtij.

Physicũ aliud axioma.

In Fœtu extrinsecus, & an ab astrorũ adspectibus.

Ptolemæi locus.

bendam esse fidem, quantam vel hodie passim præstari obseruo, cum tot in dies secus ac dicta sunt cadere animaduertam & in ægris, & in alijs, licet cum eodẽ Ptolemæo dixerit aliquis, iniquum esse arti adscribere errata, quæ ab imbecillitate professorum oriuntur. Sanè apud eundem præclara admodum, & ferè suprà captum humani ingenij extant huiusce disciplinæ documenta, à quorum tamen intimiori studio me aliquando deterrere non dicam illa Taciti verba lib. 1. Histor. Genus hominum (& loquitur de Astronomis) potentibus infidum, sperantibus fallax, quod in ciuitate nostra & vetabitur semper, & retinebitur, nec non 2. Annal. Itaque Chaldæos hac fallaci syderum interpretatione mendacij quæstum comparantes Vrbe pellendos censuit, nempe Senatus, sed multò magis verba Sacrarum paginarum, præsertim verò Isaiæ cap. 47. Qui contemplabantur sydera, & supputabant menses, vt ex eis annuntiarent futura tibi, ecce facti sunt quasi stipula, & ignis combussit eos. Absit nihilominus dici à me hæc de illa Astronomiæ parte, quam Hippocrates lib. de Aëre, aq. & loc. non minimum ad Medicinam conferre tradit, sed valdè plurimum, & quam aliqui non temerè Astrologiam potius vocandam censent, quòd non de iudicijs ad vitam atque fortunam attinentibus, vt Astronomia, sed de motu tantummodo syderum agat.

Eiusdem dictum de erroribus Astronomorum.

Quenã Astronomia de mẽte Auctoris damnãda sit.

Taciti loca duo in Astronomos.

Contrà eosdẽ Isaiæ verba.

Quenã Astronomiæ pars Medico vtilis.

Hæc

Hæc enim crisimorum dierum rationes ostendit, salubres & insalubres causas prænoscere docet, temporumq; mutationes aperit, cum quibus mutari solent hominum ventriculi & corpora tota, quia, Continens contentum in suam crasim facillimè mutat. Qui propterea diuinus senex eodem in libro oportere ait astrorum exortus considerare, præcipuè canis, deinde arcturi, & pleiadum occasum, imò & ambo solstitia, ac vtrumq; æquinoctiũ, quoniam videlicet morbi in his maximè diebus iudicantur, alijq; perimunt, alij verò desinunt, aut in aliam speciem, aliumq; statum transmutantur. Quare etiam præcipit, vt, cum magnę tunc fiant temporum mutationes, neque medicinas libentes exhibeamus, neque vramus quæ circa ventrem, neque secemus priusquam prætereant dies decem, aut plures, & non pauciores. Ideò quoque Haliabbas 1. Theoretices ait, secundùm planetarum adspectus, & Lunæ cursum, idoneos ad sanguinis missionem humorumque purgationem dies eligere Medicum debere; longè tamen, adderem ego, absente morbi acutie, humorumq; orgasmo, nec secus agere in veloci occasione nos cogente necessitate. Tunc enim cum Manardo & ipse libenter dixerim; Quid astra cum lotio? Sed ad Fœtum reuertamur, & ad causas propinquiores imbecillitatis eius, circà quas Medici versari magis consueuerunt. Hæc igitur potissimùm

Dictum iatrophysicum.

Hippocratis locus de Astrologia.

Haliabbatis.

Manardi dicterium de astris cum lotio quãdo verum sit.

mùm

In eodẽ Fœtu intrinsecus, id est, ab vtroque semine.

mùm cuilibet fœtui tunc accedunt,& incommòdant,cùm ſemen vel patris, vel matris, vel vtriuſque,aut non probè elaboratum & cócoctum fuerit, aut alio graui modo vitiatum, qua ex cauſa

Abortus vnde ſæpe fiat.

ſæpe etiam abortum fieri volebat Galenus 3. de Facult.Nat. cap.2. 3. & 12. Tradit enim Hippo-

Loci Hippocratici enarratio.

crates lib.1. de Diæta tum animalia reliqua, tum hominem ex igne & aqua conſtitui,ſed aqua nutriri,& igne moueri, quia ſcilicet ignis omnia, & per omnia mouere poteſt. Quæ verba non ignoro varijs poſſe modis explicari, at impreſentiarum probabilis admodum mihi ille ſenſus videtur,vt per ignem intelligat ſemen,per aquam ve-

Generationis primordia.

rò ſanguinem, quæ duo ſunt generationis noſtræ primordia, vt cùm alibi, tum 1.de Sanit.tuen.affirmat Galenus,& illud quidem opificis rationem obtinens, hic ceu materies quædam apta concinnaque, & opifici ad quodlibet ſequax, inter quæ illud ineſt diſcriminis, quòd in ſemine genitali plus ineſt igneæ ſubſtantiæ, atque aereæ, in ſanguine verò aqueæ,terreæque. Vnde de illo ſcribit Hippocrates,omnia per omnia mouere poſſe, innuens ſperma vim omnium partium efformatricem in ſe continere, ſeu quam vocant organizationem, partiumq; formationem, ſicuti complexionem, temperiem, & naturam generantis, vt infrà dicetur. Quare & in libro de Sacro morbo ait ideò ſanos à ſanis gigni, morboſoſq; à morbo-

ſis,

ſis, quia ſemen (ita ille cenſet) à toto corpore deciduum eſt, à ſanis ſanum, à morboſis morboſum, & idcircò epilepticos epilepticos, podagricos podagricos, & phthiſicos phthiſicos gignere adiungit. Alludens verò Lucretius ad ſemen toto è corpore deciduum cum Hippocrate, ita lib. 4. ſcriptum reliquit: Semen à toto corpore deciduum cum Hippo. atque Lucretio.

Semen adulta ætas cùm primùm roborat artus,
Per membra atque artus decedit corpore toto.

Præterea,

Ex homine humanũ ſemẽ ciet vna hominis vis,
Quod ſimulatq́ ſuis eiectum de ſedibus exit,
Per membra atque artus decedit corpore toto
In loca conueniens neruorum certa, cietq́
Continuò partes genitales corporis ipſas.

Lyricus autem vates ad vim ſeminis parentum reſpexit, dicens:

Fortes creantur fortibus & bonis, Horat. locus lib. 4. Carm. Ode 4.
Eſt in iuuencis, eſt in equis patrum
Virtus, nec imbellem feroces
Progenerant aquilæ columbam.

Opinionem verò de ſemine ab vniuerſo corpore deciduo Ariſt. amplectitur 4. ſect. Probl. 22. licet eandem refutet lib. 1. de Generat. anim. cap. 17. vbi hæc eſt illius ſententia, ſemen non eſſe natura aptum ex omnibus recedere, ſed ad omnia accedere, quod perinde eſt ac ſi diceret, ſemen non decidi ex membris omnibus, verumtamen vim Ariſtotelis opinio varia.

habere omnium membrorum effectricem. Quæ opinio, vtpotè acutissimis suffulta rationibus, mirum in modum placuit Galeno, qui propterea in hoc Aristotelem magis quàm Hippocratem sequi voluit. Conciliator tamen putat cum Hipp. semen à toto recedere materialiter, à testibus formaliter, quòd in illis formam seminis accipiat, fiatq; prolificum. Fernelius, Semen, inquit, defluit à toto, non mole, sed viribus, formaliter, non materialiter, & negat posse tam paucum semen, quod vno excernitur concubitu, à toto promanare; quæ nihilominus obiectio non obstare videtur, quia corpus seminis similare est, & vnaquæque pars quantumuis exigua; easdem, licet non pares, obtinet vires cum toto. Vtvt verò est, Insulsi vndequaque, & in vniuersalioribus axiomatis, sine quorum cognitione praxis ipsa elanguet, parùm versati hi mihi videntur esse, qui in hoc & consimili casu negligunt ea quæ à natura seminis parentum promanare possunt. Quare & apud Platonem Dial. 6. leg. perpulchra extant præcepta pro matrimonio iunctis, & liberis operam dantibus; vt nimirum solidi, & stabiles conceptus fiant, non inæquales, & obliqui tam membris, quàm moribus, ideoq; ait: Quamobrem per totam quidem vitam, & maximè quandiu generationi vacat, abstinebit quisque, cauebitq; ne faciat, vel quæ suapte natura, & spontè morbos inducunt, vel quæ ad petulantiam iniu-

Probabilior quam & Galenus insequitur.

Côciliatoris, & Fernelij opiniones diuersæ.

Fernelij obiectio diluta.

Platonis præcepta pro his, qui dant operam liberis.

iniuriamque declinant. Hæc enim in animos & corpora naſcentium neceſſariò translata, illic imprimuntur, peioresq; inde naſcuntur. Et Damaſcenus in Aphoriſmis ait, quòd à parentibus ad prolem deſcendere conſueuerunt non ſolùm corporis lineamenta, dyſcraſiæ, & morbi, ſed & animi vitia. At vnde obſecro hæc in prolem, niſi à noſtro imprimis ſemine, quod virtute eſt id, à quo decidit? Nam poteſtate creditur animatum, non rationali Anima, quia antequàm hæc forinſecus deueniat, hoc eſt, è Cælo, corpus integrè formatum, ſeu organizatum eſſe ſupponitur, ſed anima, aut potius facultate vocata vegetabili, quæ ſecundùm Hippocratem atque Galenum cũ formatrice vna & eadem eſſe videtur, ita vt parentes proprijs ſeminibus vegetandi vim communicent, nimirum procreandi, alendi, & augendi. Prima namq; ſeminis natura ab initio tribus inſtructa eſt facultatibus naturalibus vocatis, quę vnius sũt eiuſdemq; animæ naturalis & vegetatiuæ nuncupatæ, viuentibus omnibus communis, quæ quidem facultates proprijs ſe operibus, ac functionibus explicant, ac expromunt, & ſunt procreatio, nutritio, & accretio, tempore fœtus in vtero vnà in commune idemq; opus conſpirantes, quibus, & præcipuè nutrici aliæ quatuor ſubminiſtrant, videlicet attractrix, retentrix, concoctrix, & expultrix. Inter primas verò quæ procreatrix dicitur,

Semen qua anima dicatur animatũ.

Prima ſeminis natura quot, & quibuſnam conſtet facultatibus.

Procreatio, nutritio, accretio.

dum vtero geritur, principatum facilè obtinet. Confert hæc enim imprimis ſeruandæ ſpeciei, ſicut altrix, & auctrix indiuiduo, vnde etiam procreatio dicitur eſſe motus formæ, nutritio autem materiæ, & accretio quantitatis. Sed à partu edito langueſcere incipit, diſparetq́;, aut ad tempus deliteſcit, quia ſi non ad ſpeciem primis annis vim ſuam refert, ſaltem & ipſa indiuiduo aliquo pacto ſubminiſtrat, quatenus dentes profert, fracta oſſa callo obducit, nec non venæ, aut cutis portionem abſciſſam reſtaurat, ceſſans ad tempus à procreatione ſimilis, tum quia anguſtiora ſunt vaſa ſpermatica, tum quia ſemen aut nullum, aut minime prolificum. Dum verò hæc procreandi facultas otiatur, interim alia viget quàm maximè, cui augendi corporis virtus ineſt, vſque ad certum conſtitutumq́; magnitudinis illius modum, atque terminum, quia in natura certi ſunt, ac præfiniti termini,

Earundem munera quæ ſint, & quoad vſque perdurent.

Quos vltra citraque nequit conſiſtere rectum:

velut reliquum vitæ tempus in ſolius nutricis eſt poteſtate, quæ in primis vitæ ætatibus, & in vtero præſertim, cæterarum tantummodo eſt auxiliaria, vt & auctrix ibidem procreatrici inſeruit, & ſuffragatur, quia videlicet res ſuas natura facit, alterata primùm, deinde conformata materia. Ad quam quidem conformationem pertinere figuram, cauitatem, aſperitatem, & læuitatem nemo igno-

ignorat. Sola verò nutrix nobiſcum remanet, ſolaq; ad extremum vſque diem conſeruat opus naturæ, abſoluteq; neceſſaria eſt, aliæ verò potius ad certum tempus. Animal enim ſine alimento diu viuere non poteſt, licet poſſit non procreare, poſſit & non augeri. Ita ergò ſe res habet circa tres facultates animæ vegetantis parentum ſeminibus inditæ. Quare audiendus non eſt Archangelus Piccholomineus, qui animæ vegetatiuę efformandi vim ineſſe minime poſſe autumat, quòd bruta ſit, atque inſipiens; Vnde ſi formatrix virtus talis non foret, ſed ſapiens, & rationalis, ſequeretur quòd hæc eſſet vtique Anima noſtra rationalis, quæ tamen ab ea nihilo minus diſtat, quàm diuinæ res, atque cæleſtes à terrenis hiſce, caducisque. Pace enim tanti philoſophi dictum ſit, ad actum conformationis aſſerunt ferè omnes ſufficere animam, ſeu facultatem vegetabilem, quæ licet, comparatione facta cum rationali Anima, omnino ſit inſipiens, ac bruta, attamen in ſua actione ſapiens rationaliſque & ipſa exiſtit. Non me quidem latet varias eſſe hac de re ſententias, imò Galenum in ea decernenda ſibi parùm conſtantem à multis iudicari, ſed hæc viderint qui de formatrice facultate in vtero data opera diſputant. Illud tantummodo non ſilebo, quòd ab hac doctrina minime aliena eſſe videtur noſtrorum Theologorum ſententia, cui meam ſemper & vndequaque

Archãg. Piccholominei opinio non approbata.

que

Opinio Diui Thomæ comprobata.

que subijcio,& præsertim D. Thomæ par. 1. quæst. 118. art. 1. vbi ait materiam à fœmina ad conceptum præstitam statim à principio actu esse anima vegetatiua donatam, non tamen esse in actu secundo,sed in actu primo; Quod sanè aliquibus cum ratione, vt arbitror, de semine vtriusque parentis intelligi posse videtur, ita vt semen vtero comprehensum mox actus secundos efficiat, disponens, ac delineans futuri fœtus membra, educensq́;de potentia materię animam vegetabilem, ea deinceps alatur, nec non & sensitiuam, donec rationalis introducatur. Insunt itaque parentum seminibus facultates prędictæ,à quibus primus fit ad generationem motus. An non perpetua est Aristot. sententia, in semine animam inesse, quæ sibi corpus fabricet? Semen,inquit,7. diuinæ Philosophiæ, est sicut artifex. Habet autem artifex formam in sua potestate; vnde & alibi dixit, ex domo immateriali fieri materialem domum. Et lib.8. in semine statuit principium mouens. Qui etiam iuxta eundem sensum 2. de Gener. anim. cap. 1. dixit semen habere motum,& principium tale,vt motu peracto,pars existat quæque,eademque sit animata. Qui Peripateticorum princeps defenditur acerrimè ab Auerroe contra eos,quorum alij (vt est Gal. 1. de Semine) putant semen fœtus partem fieri, alij verò,vt Auicenna, partem quidem fœtus esse admittunt,sed partem formæ,

Perpulchra de semine apud Arist.

Eiusdem opinio defensa ab Auerr. cōtra Galenū, & Auicennā.

non

non partem materiæ. Arist. in lib. de Gener. anim. cap. 3. corpus ait genituræ dissolui, versumq; in spiritum euanescere, cum naturam humidam aquosamq; habeat; & Auicen. scribit de Nat. anim. semen vel calorem esse innatum, vel conuerti in calorem naturalem in fœtu ipso. Probabilius, puto, existimant, qui stant pro Gal. parte, quique, concepto in vtero semine, genitorem illum & viuificum spiritum totum in centrum concurrere asseuerant, vt inde, tanquam Deus, cum Pythagoricis in medio mundi, toti facilius prouideat, non autem quòd totum semen vertatur cum Arist. in spiritum. Quare cum Medicis modus conformationis ita fieri incipit, vt externa crassiorq; pars seminis vteri calore non aliter in tunicam concrescat, quàm panis, aut placenta furni calore incrustatur; quod quidem fit, ne spiritus ille diffletur. De qua similitudine primus omnium Hipp. 1. de Morb. mul. qui sensibilibus exemplis mirè cuncta confirmat. Quidquid autem sit cùm de alijs differentijs circa vim & naturam seminis, nec non circa modum generationis, & conformationis inter Medicos agitatis, tum vero etiam de postrema hac controuersia, quam tamen pro Arist. sedat Auerroes præaddučto loco de Generat. anim. vtrisque diuersæ opinionis placitis, quantum fieri ab ipso potuit, reiectis, quæ omnia à me hìc obiter magis, quàm seriò, sanè constat ex hactenus præfatis, velut

Auctori magis placet Galenica, & cur.

Pythagorici cur Deū collocent in medio mundi.

lut ex ſubſequentibus adhuc euidentius vnicuique patebit, minime irridendos eſſe eos,qui,cùm de vitiato fœtu agitur, ad parentum ſemina, inter cæteras cauſas, mentis quoque aciem intendunt, imò potius,qui ſecus agunt,contemnendos, cum ſemen ipſum poteſtate omnino ſit id, vnde defluit, ratione videlicet ſpirituum per arterias ſpermaticas delatorum, qui, cum ignei, aereique ſint, per vniuerſum corpus oberrantes, ſingularum partium ideam in ſe continent,& ideò quoque ſecum deuehunt; in quo propterea etiã latitant virtutes illæ parentum prorſus admirandæ, dico imprimis procreatrix, & formatrix, quæ vel ſummis viris tam Medicis, quàm Philoſophis de ſolis Dei theſauris & ſecretis prodire poſſe iudicãtur; Cum quo quidem animalium ſemine mirè quinetiam congruit reliquorum ſeminum natura; Ita namque conſtat in melonum ſemine potentialiter ineſſe truncum, ramos, folia, flores, fructus, formam, colorem, odorem, ſaporem, ſemenque. Quod item cenſendum eſt de alijs ſeminibus, quorum hæc eſt inſita proprietas, vt gignentis vim, naturam, atque temperiem ſequantur, vt ob id ſanis ſani, & morboſis ferè morboſi edantur, niſi fortaſſe alterutrius è parentibus ſani ſemẽ alterius vitioſi vim,& morbificam impreſſionem emendauerit, vel fortè etiam vterus temperatus, ac ſanus benigno veluti fotu ſuo ad me-

Semen poteſtate eſſe id vnde ſeceſſit.

Animaliũ ſemen quomodo cum reliquis ſeminibus conueniat.

Cur interdũ è morboſis parentibus filij oriantur ſani.

meliorem frugem redegerit. Debet autem ſemen ad ſanæ prolis generationem, fœlicemq; fœcunditatem idoneum plures habere conditiones, & inter alias, vt probè coctum ſit, vt copioſum, denſum, ac craſſum, albicans perpetuò, & in omnibus, tum quia à teſtibus, & ſpermaticis vaſis elaboratur, tum quia aeris in ſe habet plurimum, vt meritò irrideatur ab Ariſtot. Græcæ hiſtoriæ parens Herodotus, qui in Thalia, ſeu lib. 3. Æthiopes genituram atro colore ſuffuſam emittere prodidit; ſpirituq; vitali maximè refertum, qui quidem vitalis genituræ ſpiritus à corde deciſus, teſtium virtute gignitiuus fit, ex quibus in viris ad penis fiſtulam, in fœminis autem ad vuluæ ſinus per latera, vulgo cornua dicta, delabitur: Et vt denique vtrumque, ideſt, maris & fœminæ exactè in vtero vel ſtatim, vel non ità poſt commiſceatur, iuxta illud Hippocratis lib. 1. de Diæta; Si quis animam animæ permiſceri negat, amens eſto. Vbi per animam ſemen ipſum intelligit, quod paſſim ἔμψυχον vocat, hoc eſt, animatum; Et in lib. de Nat. pueri; Si genitura, ait, ab vtriſque permanſerit in vtero mulieris, primùm ſimul miſcetur. Ad prolificum verò ſemen, ac ſanæ prolis, vt mox dicebatur, ferax efficiendum multa concurrant oportet, quæ an in caſu noſtro in hoc primo conceptu inſimul adfuerint, ego ſanè multùm anceps fui, liberè id fateor, & palam enuncio, ſed non ob id

Seminis prolifici, & ſanæ prolis feracis conditiones.

Herodotus in quo deriſus ab Ariſt.

Hippo. locus explicatus.

Calumnia in Auctore hic ab illo refutata.

tamen efferendum statim erat Crucium Genitoris semen inualidum, effœtum, & nullo pacto ad prolem generãdam idoneum iudicare. Non enim mea hæc vnquam fuit, vel est opinio, si rectè & candidè accipiatur. Noui etenim quamoptimè sanitatem, robur, & viuidiorem naturam Viri, nec non & Puerperæ eius Vxoris, quantum ferre valet eiusmodi crescens ætas, vt ob id sæpe Viro dixerim, iterùm, nec multo post tempore alios filios generaturum esse. Imò videns, consideransq; ambos Parentes integra frui valetudine, & nihilominus Fœtum editum ita emaciatum, ac nullo modo vitalem, quinimò emortuum, visum est mihi posse suspicari, & quærere, an hac prima vice eorum semen aliunde caruerit viribus, & qualitatibus illis potioribus, quæ in eo requiruntur, vt perfectus vndecunque & vitalis cõceptus ab illo procreetur. An ergò præcox nimis copula, & frequentior quàm par esset, ambo hæc inquam errata aliquem in hac Fœtus deperditione locum habuere? Vtraque enim ex causa semen minus prolificum, minusq; idoneum ad perfectum, ac vitalem fœtum progignendum emitti quis ignorat? Coniuncti enim sunt, cum vix decimum tertium annum Vir attingeret, Mulier verò duodecimũ. Quemadmodum enim in postremis ætatibus desideratur agens, nempe calor, qui semen viuificis spiritibus præditum, atq; ita fœcundum gignat, ac foueat ad

Robur, & sanitas vtriusq; Parentis.

Præcocis ac nimis frequẽtis copulæ noxa.

validi fœtus procreationẽ, vt ob id pro rarissimis habeantur exemplis quæ de quibusdã referuntur, qui post annum octogesimum, quo transacto non nisi labor & dolor apparent, sobolem generarunt, vti videre est apud Plinium lib. 7. cap. 14. de Masinissa Rege, qui post octoginta sex annos filium genuit, quem Metymathnum appellauit, & de Catone Censorino, quem octogesimo exacto è clientis sui filia Salonij generasse clarum est; sic in priori, tenellaue nimis ætate, vbi corpora maximè crescunt & augentur, defectus esse solet & veri seminis & alimenti, vt cum non minori excipi debeat admiratione quod de puellis nonnullis traditur, nempe eas ætatis annorum nouem peperisse, & è maribus nouennes, ac decennes tũ coire, tũ etiam filios posse creare, qua de re extant historiæ apud Skenkium lib. 4. Obseru. Med. rar. tit. de Concept. Super qua pariter legatur Lauren. Ioubertus lib. 2. Err. pop. cap. 2. Dixi autem veri seminis, quia sunt qui velint duplex illud & maribus, & fœmellis haberi, nimirùm & quod saliualem vocant succum, inutile, atque improle, ad oblectamen solummodo à natura molitum; quod in viris creditur eodem fermè itinere quo & fœcundum procedere, in fœminis autem, (& præsertim grauidis succum illum vnà cum semine non in osculum interius, sed mediam ceruicem eiaculantibus, quæ ob id maiori, quàm cum non grauidæ voluptate fruuntur)

Masinissa Rex, & Cato Censorinus post octogesimum annũ sobolem genuere.

Quæ ætates ad generandum idoneę, aut è contra.

Duplex sem. & maribus, & fœminis.

Cur grauidæ fœminæ maiori fruantur voluptate, & cur citra eã cõcipere aliquando possint.

tur) vteri ceruicem per tenuissimas fibras adire, ratione cuius mira afficiuntur voluptate, quam dicunt eas non semper in solius prolifici emissione, sed plerunque experiri; vt ex hoc cesset admiratio, si non paucæ adinueniuntur mulieres, quæ citra omnem libidinis voluptatem concipiant: Cuius quidem euentus alias etiam afferri posse causas non ignoro: Lucretius tamen dicit:

Lucretij opinio de semine insimul excernendo.

Qdi concubitus, qui non vtrinque resoluant.

adeò magnifacit pro generatione, vt eodem simul tempore vtrisque oblectatio eueniat; insuper & alterum, quod propriè semen cognominat Galenus, tale scilicet, quale iam suprà descripsi, & quod ad vuluæ sinus deuenit. Agnoscit propterea forsitan Hipp. 1. de Diæta in vtroque sexu duplices genituras, quarum alia robustior sit & calidior, alia verò debilior & frigidior, illamq; masculeam vocat, hanc fœmineam, ex quarum varia permixtione, & victoria mares fœminasq; generari vult. Semen igitur verè dictum, aut saltem conditionis potētioris in prima illa, ac tenella ætate vix adest, reperiturue, ideoq; rarò videmus ab illius ætatis amplexibus sobolem creari, &, si fiat, clarè patet, infirmam, atque imperfectam esse, ac breuem infœlicemq; vitam degere. Vnde ex huiusmodi natos primordijs, siue parētibus, principalia membra, non vt è iuuenibus orti, firma & robusta, sed vt ex decrepitis, imbecilla habere in Aphorismos

Hippo. locus de duplici genitura.

retu-

retulit Damascenus, ante quem Aristot. 7. Polit. cap. 16. tradidit adolescentium coniunctionem minime aptam esse ad filiorum procreationem, subiungens nō in hominibus tantùm, sed in cunctis animalibus iuueniles partus imperfectos esse, & fœminas crebrius, quàm mares gigni, & circa finem cap. Seniorum, inquit, fœtus, quemadmodum iuniorum, imperfecti sunt & corporibus & intellectibus. Vnde passim creditur, nec citrà rationem, hodie nasci homines & imbecillæ valetudinis, & vitæ breuis, propter præcocia, seu ante debitum ætatis tempus contracta matrimonia. Quæ tamen praua consuetudo viguit aliquando apud veteres, damnata ab eodem Aristotele præaducto loco, vbi similiter ait responsum oraculi Throezenijs datum, ob istam causam, quasi multis pereuntibus propter immaturitatem nuptiarum, nō propter fructuum collectionem. Hinc meritò exclamat Hesiodus lib. 2. Op. & dier.

Seniorū fœtus ac iuniorum cuiusmodi sint apud Arist. & Damascenum.

Cur hodie homines nec ita fortes, nec ita longæui nascantur.

Iunge tibi vxorē, dum firmus adhuc vigor adsit,
Annos cùm numeras terdenos, plusue, minusue,
Aptum est coniugium, decimo sed fœmina quarto
Anno pubescit, nubat mox deinde sequenti.

Hesiodi locus de legitima ætate nubendi.

Apud Platonem tamen 5. de Rep. sancitum lege adinuenio, ne fœmina ante vigesimum, mas ante trigesimum annum connubio iungantur. A quo pariter traditur marem vltra quinque & quinquaginta, fœminam suprà quadragesimum libe-

Lex apud Platonem de tempore matrimonij.

ris

ris operam dare non debere, quia nimirum ijs transactis ætatibus, vigor animi corporisq; minime consistat, vt in prægressis. Idem 6. de Leg. videtur in viris laudare annum copulæ idoneum trigesimum inter & quintum, &, quod magis miror, Aristoteles præallato loco septimum suprà trigesimum. Nimis enim tarda, me iudice, est marium ætas, apud quem magis probo quod ait de fœmellis decem scilicet & octo annorum nuptui tradendis. Quòd si hæc causa in præsenti loco denegetur, quia multi fœtus ab eiusdem ætatis parentibus & concipiuntur, & fœliciter eduntur, vt relinquam portentosas minoris ætatis conceptiones, de quibus suprà, profectò hæc altera sine pervicaciæ nota negari minime poterit, videlicet crebra nimis atque intempestiua à primis vsque ferè matrimonij mensibus coniunctio, ex qua non solùm fœtus concipiuntur imbecilles, & neutiquam vitales, sed sterilitas ipsa manifestè exoritur, fortasse quia in secundis eiaculationibus, ac reiteratis amplexibus minus fœcundum semen est, propterea quòd minus elaboratum, imò potius elumbe, magisq; tenue, & aquosum excernitur, vt videre licet non modò apud Galenum 1. de semine cap. 16. sed similiter apud Plutarchum in Lycurgo. Testium enim substantia quantumuis robustissima non valet in crebris adeo, & frequentatis actibus venereis semen pro vt decet alterare, atque con-

Apud Aristotelem.

Frequens venus cur noceat conceptui, seu generationi.

concoquere, quod à ſpermaticis vaſis, eorumque anfractibus attrahunt, ibidem conuenienti mora præparatum, non aliter ac cætera membra naturæ quodam inſtinctu ſuccum ſibi accommodatum allicere conſueuerunt, quando ſcilicet moderata quis venere vtitur, at ſi immodica, nimiſue aſſidua ſemen totum exhauriatur, duplex committitur error, qui cùm indiuiduo, tum ſpeciei magnopere officit; & ſpeciei quidem, vel quia generatio omninò præpeditur, vel quia ſi fit, adeò imbecilliter fit, vt embryo ferè morte prius extinguatur, quàm vitali aura donetur. Quandoquidem ſemine exhauſto frequentioris concubitus occaſione, teſtes ipſi è ſuperioribus venis quidquid ſeroſi humoris in illis continetur, id omne trahunt pauculo ſanguine irroratum, & inconcoctum, conſequenterque tenue, liquidum, inſtar aquæ, & nullo modo aptum adhæreſcere vtero pro generando fœtu. Parentibus verò nocet, (vnde Ariſt. 4. ſect. probl. 22. quærit; Quare qui concumbunt reſolui, atque langueſcere vehementer ſolent) quoniam venæ ab exinanitis teſtibus violenter & ipſæ humore priuatæ, iuxta naturæ ordinem, ab alijs ſuperioribus venis, quemadmodum hæ à vaſis alijs, & hæc rurſus à proximis ſubinde trahunt, donec eiuſmodi trahendi neceſſitas in ſingulas corporis particulas diffuſa, membris omnibus conueniens alimentum abripiat. Quare merito

Ex nimia Venere duplex noxa, videlicet Speciei.

Et Indiuiduo.

ritò creditur quòd immoderata seminis profusio plùs vitæ noceat, quàm si eo plùs sanguinis centies effluxisset. Quò alludens Auicenna scribit quadragesies plùs dissoluere seminis, quàm sanguinis vacuationem, & Ficinus venerem nascituris potius, quàm natis prodesse dicebat, & valdè ante Aristoteles de Long. & breuit. vitæ, cap. 2. verissimè dixit, homines venereos, peruagatæque libidinis, & salacia quæuis animalia vitam breuem degere, citissimeq; senescere, & ideò mulum ex equo, & asino procreatum lõgius viuere. Hinc Cicero in Catone; libidinosa, & intemperans adolescentia effœtum corpus tradit senectuti; ideſt, debile, & infirmum, quia vacuum viribus, & eneruatum; vnde & appositè illud ad iuuenem nimis salacem; Vt sis diu senex, sis citò senex. Siquidem ea etiam de causa passeres vix vnquam duos annos excedunt, & mares, quia fęmellis sunt salaciores, de quibus in Theophrasto legitur, septies in hora coire, citiùs moriuntur. Vt ob id quisquis suę sanitati benè consultum cupit, ad Veneris mensam accedere raro debeat, nisiq; vt satisfaciat naturæ, videlicet ad necessitatem, non ad voluptatem, vxorem tamen ducendo. Alioquin immortalem animam occidet, dum mortale corpus aliquandiu incolume conseruare studebit. Verùm ne latius à re nostra diuertamus, quantum habeat momenti pro impediendo, vel peruertendo con-

Auicennæ, & Marsilij Ficini dicta.

Ciceronis locus.

Dictum ad iuuenem nimis salacem.

Passerum vita breuissima, vnde.

ceptu

ceptu frequens,& aſſiduus concubitus,docere nos etiam voluit doctiſſimus ille Varro lib. 6. de Re ruſtica cap. 5. vbi præcipit arietes,& tauros admiſſarios menſes duos,antè quàm admittantur,à coitu arcendos,vt interim ſemen concoctum magis, & magis prolificum euadat. Sed quid ad Rhaſim, apud quem raritas concubitus ſterilitatem facit, eo quòd in ea raritate os vteri anguſtum nimis euadit, ita vt non poſſit ſemen niſi magno cum labore trahi intrò? Et quid interim etiam ad illud vulgò ſuper huiuſmodi re decantatum; Qui ſæpe collimat, aliquando collimat, Et, Si ſæpe iactaueris,aliquando Venerem iacies? Cum Hippocrate; Omnia mediocria; cum Delphico oraculo; μηδὲν ἄγαν. Ne quid nimis. Ita enim in vtroque auctore veritas, & in prouerbio. Hinc igitur patere vnicuique poteſt, quomodo è parentum ſeminibus debile illud vegetabile principium, ſeu naturalem infirmitatem contrahere præſens Fœtus potuerit,cuius imbecillitatis gratia facultas & illa inſita potiſſimùm quæ attrahendi munus exercet, infirma reddita, talisque in dies perſeuerans, alimentum conueniens pro Puelli nutricatu ad vterum allicere minime valuit, vt ille propterea nutrimenti defectu intra locos muliebres anguſtiores fortaſſe etiam quàm par ſit, atrophia correptus,tandem alijs quoque cauſis accedentibus,reſolutis præ ſanguinis inopia, ſeu fatiſcentibus ſpiri-

Varronis locus in quo laudat rarum concubitum pro faciliori generatione.

Rhaſis locus de raritate veneris damnata pro conceptus generatione.

Conciliatio.

Vegetabilis principij debilitas quid mali attulerit præſenti Fœtui.

ritibus, diem ſuum obierit, quem nondum viderat. In confluxu enim ſanguinis è corpore mulierum pro nutritione fœtuum nō eſt par ratio cum ſanguine pro menſtrua expurgatione, cuius tempore ſanguis ad vterum confluit per modū tranſmiſſionis, inſurgente partium expultrice facultate ad expellendum, & ceſſante vndique vteri attractrice, quia ſanguis ille magna ex parte inutilis, & excrementitius eſt, ideoque nutriendis partibus vix accommodatus, quem illæ ob id reſpuūt, & ad alias tranſmittunt, donec ad vterum ventum ſit, retenta eius portione puriore in gratiam proprij nutrimenti, qua multùm priuantur, dum in vtero geſtatur fœtus ſanus & fortis, qui omni conatu eam ad ſe trahit, velit nolitue mater, præſertim ſi iam grandior factus eſt. Vnde illa humanarum diſſenſionum, aut litium principia, Meum Tuum, in vtero nobiſcum vix efformatis implantantur. Hinc videre eſt mulieres illas quaſi omnes, quæ perfectos atque robuſtos pariunt fœtus, tempore, quo illos geſtant, parùm firmam obtinere valetudinem, immò exangues eſſe, decolores, graciles, anorecticaſque, & animi deliquia identidem pati, quia nimirùm plurimus, euchymusq; ſanguis iugiter vi fœtus robuſti ad vterum vocatur, & cum eo calor & ſpiritus. At ſi embryo, ſeu infans debilis, atque infirmus exiſtat, nec pro ſui nutritione valeat ad vteri loca ſanguinem attra-

Cōfluxus ſanguinis ad vterum duplici modo fit.

Meum Tuum humanarū litium principia in vtero nata.

Cur mulieres, quæ fœtum ſanum ac robuſtum gerunt, infirmiores ſint alijs, quæ imbecillum.

tra-

trahere, res aliter omnino ſuccedit, vt in eo, de quo agimus, caſu manifeſtè contigit. Qua in re legi etiam poteſt Hipp. lib. 1. de Morb. mul. c. 11. in quo de pallore vterum gerentium, & de appetitu rerum alienarum agit. Quare puto hìc habere locum quod magnus ille Imperator dicere ſolebat de Fiſco, & populis, quod item de corpore effertur, ac liene, qui tunc intumeſcit quando corpus macreſcit, & è contra; quod ab Hipp. manauit, nec non & à Gal. 2. de Nat. facult. vbi traditur quòd his, quibus corpus floret, lien minuitur, & quibus corpus minuitur, lien floret, & augeſcit. Aduerſus tamen hanc opinionem de ſemine non ita elaborato, nec prima hac vice vndequaq; idoneo ad perfectum conceptum progignendum ſtare videtur obiectio hæc, quòd ſcilicet cum à vitiato ſemine parentum, eo, quo dixi, modo, fœtus ruinam pati, corruptioniq; obnoxius eſſe debet, id ipſum omnino fit à primis diebus. Ita enim volunt, referente Mercuriali lib. 2. de Morb. mul. Auicenna & Albertus, nempe ſi fœtus primis corrumpatur diebus, id fieri ex ſubtilitate ſpermatis, rationem addentes, quia ex materia ſpermatica fit tela illa fortis, quæ ſecundina vocatur; Quare ſi ſperma fuerit denſum & craſſum, fit hæc tela valida, ſi verò tenue, aquoſumue, tela ipſa infirma admodum & laxa efficitur, quo fit, vt nec etiam in principio poſſit fœtus ab ea ſuſtineri.

Traiani dictũ de Fisco, & populis idem cum Hippocratico de corpore, & liene.

Obiectio.

Vnde fiat, quòd fœtus à primis diebus corrumpatur, cum Auicenna & Alberto.

Dilutio. Ad quam obiectionem respondere primò possem cum Vesalio, membranam illam ex semine minime fieri, sed ex sanguine; cui propterea Viro doctissimo secundinæ substantia non membranosa, sed carnosa omnino est, carni lienis simillima. Ita enim ille censet aduersus Galenum. Sed huiusmodi responsum negligatur vnà cum Vesalij hac de re sententia, Quandoquidem chorion membrana à vi seminis vtriusque parentis formatrice ortum habet, licet cũ aliquibus ex fœmineo magis, quàm virili semine. Deceptus autem fortasse fuit Vesalius, autumans membranam minime esse contradistinctam à carnosa substantia eidem membranæ adhærescente, quam tamen distingui constat ex lib. 1. de Sem. & 4. de Vsu part. Præterea cum Arantio nostrorum temporum Anatomico insigni in Libello de Hum. Fœtu, membranas chorion & amnion (allantoidem enim non concedit) propaginem esse tunicarum internarum, nempe amnion à carnea exoriri membrana, chorion autem à peritonæo. Verùm neque hęc recipitur opinio, quoniam vis formatrix seminibus indita in omni conceptu opus suum à membranarum delineatione perpetuò inchoare solet, nisi prępediatur, & nec vlterius progredi permittatur. Cui opinioni adstipulatur quàm maximè naturalis ratio, quà constat membranas debere ante cætera effingi, ac efformari, vt his obuallatum, & quasi intra corticem

Membrana chorion cum Vesalio à sanguine fit, non à semine.

Refellitur Vesalius.

Arantij opinio de ortu membranarũ non approbata.

Formatrix facultas vnde opus suum exordiri soleat.

ticem tectum semen vires suas praeclarius exerat, tum ne interni euanescant & dissipentur spiritus, postremò ne mollis ac tenellus embryo primis diebus vteri duritie collidatur, vt doctè, ac eleganter ait Laurentius. Vnde Hippocrates, Genitura, inquit, postquam permixta, & retenta fuerit, quocunque die & hora excernatur; pellicula quadam quasi crusta perpetuò tecta cernitur. Quamobrem dicerem à semine quidem oriri membranas, vt cum Galeno censent Medici illustrioris notae, at in re nostra semen vtriusque parentis non fuisse ita euiratum, cum primò marem progigneret; nam prima & vltima aetas foeminarum maximè est procreatrix, & cum singulae particulae in Foetu probè essent delineatae, ideoque etiam indusium, seu inuolucrum, secundina vocatum à Latinis, ἀντίξιον ϗ ὕστερον à Graecis, quòd in mensem vsque nonum forte perseuerauerit, non adeò tenue, ac subtile genitum, vt ab initio tam facilè diuelli, ac disrumpi potuerit. Conclusio itaque alterius, & secundo loco promoti Quaesiti eiusmodi sit; Foetum, de quo agitur, editum emortuum, exiguaeq; corpulentiae, ob alimenti penuriam, cuius tamen causa multiplex fuit, nimirum & in Matre, & in Vtero, & in Foetu ipso, prout hactenus explicatum est. Tertium verò Quaesitum hoc esse potest, An Foetus per multos ante dies fuerit in vtero extinctus, an verò paulò sub exitum. Nam signum à

Hipp. locus.

Conclusio secundi Quaesiti.

Quaesitum Tertium versatur circa tempus extinctionis Foetus in vtero facta.

motu,

motu,vt & ſuperius dicebam, quod Hippocrates, & Aetius tanti faciunt, noſtro in caſu nullius momenti haberi debet, quia Adoleſcentula ne leuiſſimum quidem motum toto grauidationis ſpatio ſe vnquam percepiſſe fatebatur, quemadmodum & hodie fatetur. Non me certè latent hiſtoriæ & exempla mulierum, quarum in vtero tanquam in ſepulchro quodam delituerunt fœtus emortui dies, menſes, annos, ſuper qua re inter cæteros videndus eſt Petrus Foreſtus lib. 28. de Mul. morb. Obſer. 68. Vnde præter lithopędij illius diutiſſimè in vtero geſtati hiſtoriam prorſus admirandam, quoad modum ſcilicet atque cauſas indurationis, inſtar omnium ſit, quòd Albuchaſis lib. 2. cap. 76. notat ſe vidiſſe mulierem, quæ manẽte fœtu mortuo nihilominus nouiſſimè concepit, & in qua mortuo fœtu putreſcente, ſanies ad vmbilicum ablegata eſt, ibique abſceſſum fecit, quo quidem diſrupto, auxilio emplaſtri attrahentis, oſſa ipſa exierunt integra. Sic habemus apud Marcellum Donatum Hiſt. Med. lib. 4. cap. 22. obſeruationem mulieris, quæ ſceleton mortui fœtus vtero gerens denuò concepit; in qua accedentibus magnis doloribus, & vitæ periculo, ſceleton per ſectionem eximitur, vterus expurgatur, & conſolidatur, intacto remanente altero conceptu, qui poſtmodum viuus, & inualidus in lucem prodijt, in tantum non offenſa fertilitate, vt etiam quater ab hac curatio-

Fœtus emortui diutiſsimè in vtero geſtati.

Hiſtoria mirabilis apud Albuchaſim.

Conſimilis apud Marcellum Donatũ.

ratione pepererit. Attamen quoad Fœtum præsentem, existimo ego paulò ante, quàm egrederetur, vita fuisse priuatum, quoniam quæ ex vtero prodibant statim à partu nec fętida erant, nec corrupta, licet relatum fuerit pelliculam totius corporis emunctorium abscedere mox incepisse cum tetro aliquo odore, quæ causa potuit, vt dicebam, exitum adcelerare, & quia similiter in Puerpera nullum adfuit è signis illis, quę vt plurimum, & quasi in cunctis mulieribus aliquandiu mortuum fœtum gestantibus animaduertuntur. Quæ enim non subiacent naturæ legibus, à naturæ ipsius progenitore, ac domino, Deo nimirum Omnipotente peculiarem gratiam obtinuisse fateantur oportet. Decolorari etenim solent dicto citius hæ mulieres, & in earum oculis præsertim effatu digna cernitur obtenebratio, & excauatio, liuent labra, summæ nares, & auriculæ albicant, imò dolores patiuntur & grauitatem, maximè lumborum & fęmorum, ac inter cætera, in pectinis & vniuersi hypogastrij regione, sinuq; pudoris magna percipitur frigiditas, & cùm ore, cum pudendo grauis redditur halitus; Quæ singula, non modò insimul omnia, à nostro casu longè abfuere. Quare manifestissima cuique potest esse cóclusio; Fœtum vno ante die, vel ad summum vno & altero fuisse in vtero extinctum. Alioquin Mater inde malè habere incepisset, iam Fœtus cuticula initiata putredini,

Opinio Auctoris in pręsenti Fœtu.

Notæ emortui fœtus in vtero.

Cóclusio tertij Quæsiti.

dini, vt ex ſola ſecundinæ retentione, aut imminuta lochiorum expurgatione quotidie obſeruamus vel in mulieribus illis, quæ validum, ac omnino vitalem partum emittunt. Quòd ſi aliquando in nonnullis contrarium euenit, id habeatur à nobis, vt iam iam dicebatur, tanquam pro re miraculoſa, atque rariſſima, quam propterea ad Artem minime ſpectare Medici dicere ſolent. De muliere verò illa Senonenſe, quæ tandiu in vtero lithopædium ſeu petrefactum embryonem geſtauit, non eſt, me iudice, cur tantopere miremur, quòd videlicet tali cum fœtu lapideo diu vixerit, quia eius ſubſtantia non corrupta, non putrefacta in vtero fuit, ex qua procul dubio putidi, deleterijque halitus in cor, cerebrum, & os ventriculi eleuati grauiſſima inuexiſſent accidentia, & fortaſſe mortem, ſed deſiccata in lapideam naturam conuerſa eſt, ſcimusque experimento non modò Hipp. in Epid. ſed aliorum quoque in vteris calculos coagmentari, ibique longo tempore ſtabulari, ac deliteſcere. Admiratio ſolùm in modo & cauſis indurationis potius, quàm putrefactionis, & quomodo etiam mulier à congelante cauſa vehementi relata vtero inſenſiſſima non obierit. Ceſſabit tamen quilibet mirari, ſi elegantiſſimam legerit enarrationem Alboſij Hedui, & Symeonis Prouancherij. Quartum & vltimum Quæſitum hoc in Fœtu tale ſit; Cur editus nempe eſt capi-

Cur mulier petrefactum fœtũ geſtans diu vixerit.

Quæſitum quartum de capite vtrinque ad latera preſſo.

te

te vtrinque ad tempora presso? An quia infantes etiam probè nutriti in vtero, mollia, & quasi cerea, vt Galenus ait 6. Meth. 5. habent ossa, præsertim verò syncipitis, quod, vt ait Arist. 7. de Hist. animal. 10. pueris molle est, seròq; duratur, & caput totum prægrande comparatione cæterarum partium, vt ex eodem constat Aristotele; in primiparis autẽ muliebria loca valdè angusta sunt, præcipuè si plenæ sint, atque obesæ? In transitu enim per coarctatos tubulos molliusculum caput ad bregma maximè deprimi facilè potuit, non aliter ac olim, vt Hipp. narrat, apud quosdam populos vocatos ab hoc Macrocephalos mos fuit capita infantium tenella fascijs adstringendi, vt acuminata euaderent; quæ consuetudo postea exoleuit, quia virtute seminis ars in naturam degenerauit, quod passim quoque de Genuensibus effertur. Id quod mihi in mentem redigit frequentissimam fœtuum demortuorum causam ab Arantio, & Skenkio traditam, quæ an suprà excogitatis de internecione huius Fœtus adijcienda sit, aliorum iudicium esto: Ego enim in alium vsque partum potius suspendendum puto; nimirum ossis pectinis deprauatam conformationem, quando scilicet depressum nimis est. Nam in gibbum supernè, infernè autem in arcum excauatum sit oportet. Alioquin & depressionis ossium capitis, & mortis etiam fœtuum occasio esse potest. Et hæc

Mos faciendi capita acuminata apud Macrocephalos, ac Genuenses tandem in naturam degeneratus.

Arantij, & Skenkij opinio de frequentissima causa mortis fœtuum in ipso partu.

de Quæſitis in Fœtu,ſiue Puellulo nonimeſtri,ſed tabido edito,emortuoque; Deſcendamus nunc ad alia quędam ad Genitricem ſpecialiter attinentia. Debuiſſet itaq; Adoleſcentula in mammis lac habere, ideoq; etiam in illis manifeſtam præſeferre extuberantiam,vel turgeſcentiam, quæ tamen viſa nunquam fuit, etſi neſcio quæ lactis ſtillæ primis inde menſibus exierint, tempore videlicet, quo moueri ſolet in vtero fœtus, dico tertio menſe. Quod quidem lac multò vberius poſtremis menſibus, ſicut à partu emiſſo, exundare oportuiſſet, ſi, vt Galenus ait 5. Aphor. 39. octauo & nono grauidationis menſe turgent venæ vtero & mammis communes. Clara eſt inſuper Hippocratis doctrina quotidiano experimento clarior quoque reddita, dum lib. 2. Epidem. ſect. 6. tex. 23. ſic ait, Trimeſtris puerulus omnia habet manifeſta, & lac tunc habet. Et in eodem lib. ſect. 3. tex. 34. Lac, inquit, nutrimento mutationem accipiente; octimeſtri verò perficiente. Præterea ſcribit idem Auctor lib. de Nat. pueri; Simulatq; moueri cœperit infans, ſui tum notam lac exhibet matri. Vnde veræ conceptionis argumentum deſumebat ipſe Hippocrates ab ortu lactis, quemadmodum & Ariſt. 3. de Hiſt. anim. 20. dicens nulli ferè animalium lac generari, ante quàm vterum ferat, & ob id 1. de Morb. mul. inter ſigna molæ τεκμήρια ponitur, quando in mammis lac minime fit. Non ne-

Quæſita in Genitrice.

Primum; Cur lac in mammis habere debuiſſet.

Hipp. loca.

Hipp. & Ariſtot. vnde ſumerent conceptus facti argumẽtum.

Molæ ſignũ.

negauerim tamen posse aliquando contingere, vt in molæ gestatione lac aliquod mamillæ progignant, propter mensium defectum, vt paulò infrà dicetur, de quo lactis genere intelligendus Salius in suis Annot. ad Altim. Praxim cap. 115. vbi in mola experimento compertum esse ait cùm motum apparere, tum lac in mamillis colligi. Post partum verò etiam, quia, vt ipse notat Hippocrates; vbi peperit mulier, principio motus iam facto, lac fertur ad mammas. Ad hæc gignere lac in mammis debuisset Adolescentula nostra saltem postremis mensibus, vt grandior iam factus Puellus in vtero, nec idoneum ibi reperiens, aut suscipiens à pauculo sanguine alimentum, posset in ea penuria lacte è mammis per intimiores tubos attracto parumper nutriri; Hæc enim est Hippocratis sententia, quòd scilicet vltimis mensibus infans in vtero de mammis quoque sugat alimentum, licet non desint qui id ab Hipp. non ex sua, sed de aliorum sententia scriptum asseuerant, vt ei concederetur quod longè facilius est, fœtum videlicet spiritum trahere, saltem à matre, sine quo calor cordis viuere nequit. Siquidem hoc tradit non solùm in libro de Principijs, quem alij de Carnibus malè inscribunt, sed etiam 1. de Nat. puer. dicens puellum in vtero vltimis mensibus à matre trahere ad se se quod dulcissimum est in sanguine, simulq; etiam lacte aliquantulum frui. Idem con-

Salij obseruatio de lacte in molæ gestatione, quo modo intelligenda.

Quæsitum: Vtrum fœtus in vtero lacte etiam alatur.

Liber Hipp. περὶ ἀρχῶν potius quàm περὶ σαρχῶν.

firmat Galenus lib. 14. de Vſu par. 4. & 5. Aph. 37.

Hippocratis locus de nutritione ex lacte in vtero quomodo accipiendus.

Quem Hippocratis locum ſunt qui non interpretantur de lacte, inter quos eſt doctiſſimus Laurentius, ſed de ſanguine in venis mammarum contento, qui proxima eſt lactis materia, addentes ſi ante diem partus valdè ſit famelicus puer, poſſe lac album à mamillis ad vaſa refluere, rurſumque ob venarum facultatem ſanguificãdi virtute præditam, quæ nunquam otioſa eſt, excoqui, & in ſanguinem verti. Ex Hippocratica tamen allata auctoritate magis magisq; videtur corroborari vetus illud Placitum, quod à Democrito manauit, qui, teſte Plutarcho 5. de Plac. Philoſophorum cap. 16. vnà cum Epicuro exiſtimauit fœtum in vtero per os nutriri, vt ob id ſtatim ac natus eſt, ore ad mãmas feratur, cum & in vtero eſſe velint quædam veluti vbera, & oſcula, quibus alatur. Vnde ſubiungit Hipp. in lib. de Princip. Imò neque mammam illicò vt natum eſt animal ſugere noſſet, ſi non in vtero ſuxiſſet; quamuis iſtius conſequentiæ nulla videatur eſſe neceſſitas, cum è 6. Epid. conſtet ſugere puerum doctum à natura indoctam. Quinimò libro de Octim. partu apertè ſcribit, ante partum quoslibet ductus tum alimentorum, tum ſpiritus, & excrementorum clauſos eſſe, præter vmbilicum, qui à partu ſiccatur, reliquis iam tum patẽtibus. Vt vt eſt, priorem opinionem Hippocrates dubio procul hinc hauſit, nempe, à fonte

Democriti, & Epicuri Placitum.

ſa-

ſapientiæ Democriti, quem 1. Epiſt. ad Damage-tum vocat ſapientiſſimum, & à quo ſimiliter ſe redditum ſapientiorem ampliſſimè teſtatur. An dici hac in re poſſet fœtum in vtero duplicis generis alimentum pro ſui nutricatu allicere, videlicet ex vmbilicali primùm vena hepati inſerta, ad eam fiſſuram, vbi vena porta reſidet, cuius etiam propago eſt, idque ab ea prolectare tanquam radice, ad inſtar plantarum; hoc etenim eſt quod libro de Alimento ait Hippocrates: Antiquius alimentum per abdomen vmbilicus; ſignificans primum animalis alimentum, quod per vmbilicum trahitur, qui in medio abdomine ſitum habet; & ore etiam, more animalium, præſertim quando, impendente partu, vberiore indiget alimonia; vt verum quoque eſſe poſſit quod nuper afferebatur ex Hippoc. ſiue hoc de mente propria dicat, ſiue aliorum? Quandoquidem & oſtrea, & ſpongiæ, vrticæq; marinæ (quæ ſunt de Zoophytorum genere, quæ tertiam habent naturam, non animalium, neque fruticum, Budæus non incongruè Plantanimantes, vel Plantanimalia appellat, Ariſtotelem ſecutus, apud quem lib. de Plant. 1. cap. 1. ita legitur; Scimus, quòd conchylia animalia ſint cognitione carentia, quapropter plantæ ſunt, & animalia) tum radicibus è ſubiacente terra ſuccum limoſum, tum ore quoque prænatantes piſciculos excipiunt, & in alimentum deuorant, vt videre

Teſtimonium Hipp. de Democrito.

Reſponſum Auctoris ad Quæſitum.

Zoophyta quid ſint, quo modo à Budæo vocētur, & vnde, quibuſque alantur.

dere licet apud Arist. ipsum de Hist.animal.lib.4. cap.6.lib.5.cap.16.& alibi,nec non apud Plinium lib.9. cap.45. Quamuis, vt ingenuè dicam quod sentio, quomodo fœtus in vtero per os etiam nutriri possit,ego equidem non intelligam,cum vasa nulla ad os ferantur, neque vllam cum materno vtero symphysin fœtus habeat, nisi per vasorum extrema coeuntia,quæ omnia ad vnum vmbilicum desinunt, per quem & spiritum & alimentum eundem trahere Hippocrates affirmat, tam lib.de Nat. pueri, quàm de Oct. par. vt ob id omnino credam diuinum senem in lib. de Principijs,velut vbicunque idem asserit,esse intelligendum loqui iuxta Democriti opinionem, non ex mente propria, quia nimis apertè sibi contradiceret,ne sileam quòd fœtus vtero cōclusus,& membranis amnio, & allantoide circūseptus,si ore adaperto vellet alimentū ingerere, aut spiritū ducere, cum cibo,cum aëre aquas,quibus innatat,insimul attraheret, & primo haustu aquis illis obrueretur, suffocareturue.Hæc autem omnia latuisse Hippocratem in natura fœtus, & singularum rerum ad illum spectantium indaganda exactissimum quis vnquam putauerit? Alio insuper nomine lac ab Adolescentula generari debuisset, quia menstruæ purgationes defecerant, & in Puerulí corpulentiam minima chymi portio abibat,in muliere pleni habitus,atque sanguinea. Nam Hipp. 5.Aphor.

Si

Si mulier, inquit, quæ neque grauida eſt, neque concepit, lac habet, ei menſtrua defecerunt. Qui tamen aphoriſmus præfatæ eiuſdem Hipp. & Ariſtot. doctrinæ non ita conſentire videtur, ſi nimirum lac gigni in mammis poteſt ex ſola mẽſium retentione abſq; grauidatione. Nec quiſpiam miretur, quòd dixerim lac habere debuiſſe in mammis ex ſola menſtruorum cohibitione, præſertim cum ſit carnoſi habitus, atque ſanguinei, & Puellus ipſe, pro nutricatu, pauciſſimo ſanguine vteretur, quia ſi extant præclara exempla virorum, in quorum mammis lac copiosè genitum viſum eſt, quantò magis id concedendum euenire in virginibus, & mulieribus, quæ non conceperunt, & potiſſimùm non effluentibus menſibus? Habent enim fœminæ mammas, poſt ſcilicet decimum quartum ætatis annum, ampliores, quia tunc attolluntur, inquit Hipp. & papillæ turgent, ac ſpongiarum in morem perquàm raras, ideoque valdè copioſi capaces humoris, qui glandularum alterantium & excoquentium robore facillimè in lactis naturam poteſt tranſmigrare. De Viris referebat Ariſtot. præadducto lib. 3. de Hiſt. anim. & poſt eum Auicenna. 1. de Animal. ſe vidiſſe è viro tantum lactis emulctum, vt ſit confectus caſeus. Ita & Cardanus lib. 12. de Subt. loquens de hom. natura, notat idem Genuæ obſeruaſſe in quodam Antonio Benzo tringinta quatuor annos nato, pallido,

Hippocratis aphoriſmus eidem Hipp. & Ariſt. contrarius.

Mamillarum muliebrium natura.

De lacte in Virorũ mammis.

Hiſtorię apud Ariſtotelem Auicennam Cardanum.

lido, barba rara, & corpore pingui, de cuius mammis tantum lactis profluebat, vt infantem ferè nutrire posset, nec solùm, inquit, effluebat, sed impulsu ferebatur. Sic denique olim mihi Bononiæ affirmabat Gaspar Taliacotius se non exiguam lactis copiam manare vidisse è mammis cuiusdam alterius Genuensis, quem in carcere ægrotantem visitabat. Quæ cum ita se habeant, iure merito quæritur, cur nostra Puerpera nec turgescentes habuerit mamillas, nec in eisdem lac obseruari solitum in cæteris mulieribus etiam primiparis. Quod enim à primis mensibus exijt, ita paucum fuisse dicitur, vt ad stillas referatur, & pro nihilo habendum sit. Crediderim rem hanc totam definiri penitus posse iuxta Hippoc. doctrinam sparsim disseminatam, nimirum lib. 1. de Morb. mul. 5. Aphor. & de Nat. pueri, vbi traditur ijsdemmet causis, propter quas deest fœtui in vtero nutrimentum, deesse similiter lac mammis, vt præcipua ratio, ob quam mammæ crescunt, & duritiem contrahunt in vtero ferentibus, imò & lac progignunt, illa sit, quam recenset lib. de Nat. pueri dicens: Lac autem ob huiusmodi necessitatem fit, cum vteri tumidi præ puero sunt, ventrem mulieris comprimunt, eius autem pleni vbi compressio contigerit, pinguissimum de cibis ac potibus foras prosilit; & subdit; Et à pingui parte calfacta, & alba quod edulcatum est à calore, qui ab vteris acce-

Ex relatione Gasparis Taliacotij.

Quæsitum secundum; Cur mamillæ nec turgidæ fuerint, nec cum lacte.

Generationis lactis necessitas, & modus apud Hippocratem.

accedit, expressum venit in mammas, & in vterum quoque parum venit per easdem vias: tendunt enim in mammas, & in vteros venulæ hæ, & consimiles aliæ,& vbi peruenit in vteros de lacte paululum,ipso fruitur puer,mammæ verò suscepto lacte impletæ attolluntur. Quibus in verbis summus ille Medicinæ Dictator licet subobscurè, nos tamen docet, quòd dum fœtus efformatur in vtero, maxima sanguinis pars à natura absumitur primùm in parenchymatum & carnosarum omnium partium, vt musculorum, generatione, nec non earundem nutritione, atque accretione, vt vix quidquam relinquatur superflui, sed cum absoluta est partium cunctarum conformatio,fœtusq; incipit dimoueri,quo tempore nutritioni tãtummodò incumbit natura, & nutritio non adeò copiosa indiget alibili materia, eo quòd exiguus tunc fiat particularum exhaustus, redundans,ac velut fluitans sanguis adest in vteri venis, quæ tam à mole grandioris fœtus, quàm ab eiusdem calcitrare incipientis motu compressæ, sanguinē exprimunt in superiores partes,& ad mammas potiùs pellunt, quàm ad alias partes, propter vteri cum mammis simpathiam, quæ tribus fit modis, generis similitudine, operis societate, & vasorum communione, præsertim verò mira naturæ prouidentia ob finalem causam, vt videlicet sensim assuescat sanguis eò transferri ad lactis ge-

Hippocr.sen: sus subobscurus enarratur.

Triplex vteri cum mammis simpathia.

nerationem pro puelli non ità post nasciturі extrinseco,vt sic dicam,alimento. Quod etiam fortasse fit à natura, ne tanta in vtero suppetat fœtui nutrimenti copia, qua oblectans ac fruens exire contemnat. Scimus enim ex Hippocrate vnam è causis partus,quæ ad rem nostram spectat,alimẽti puelli esse penuriam,quam ægrè ille ferẽs calcitrat, disrumpitq;acetabula,& in lucem prodit. Constat denique ex præcitatis Hipp. locis, ac verbis,quòd dum fœtus in vtero manet, sanguinẽ ad se allicit, si tamen sanus sit, & robustus, cuius potissimam optimamq; partem absumit, aliam verò præpinguem etiam & fabricãdo lacti idoneam ad mammas, vt dictum est, propellit. Quare si in Adolescentula mammæ haudquaquam turgere visæ sunt, imò & omni lacteo succo priuatæ,etiam postremis mensibus, cesset admiratio,cum infans in vtero præ nimia imbecillitate, orta ex superius allatis causis,sanguinem pro sui nutritione minime attraheret,nec eundem,mole & motu compressis vteri venis, ad superna membra impelleret,quem propterea nec mammæ obtinere potuerunt. Quo argumento, nimirùm quando mammæ lacte carent, & hac de causa graciles potius sunt, quàm turgidæ, demonstrabat Hippocrates conceptum in vtero fœtum imbecillum esse,imò inde prædici posse abortum. Quò etenim melius habent fœtus, cumque ideò magis trahant, eò maiores solidio-

Vna è causis partus nutrimẽti inopia.

Mammarum gracilitas Hippocrati quid indicet.

dioresq́;ſentiuntur mammę. Verùm ad hanc rem magis magisque illuſtrandam, ſilentio inuoluendum non eſt, duo eſſe genera venarum mamillas perreptantium, quarum gratia duplex in illis redundat ſanguis, vt elicitur ex Galen. 14. de Vſu part. Pro vt enim diuerſis tubis ad eas ſanguis defertur, ita & duobus modis lac ibidem progignitur. Quem ergò ſanguinem mamillæ ipſæ in proprium tranſmutant alimentum per venam maximè thoracicam trahũt, ſed qui pro veri lactis materia debet inſeruire, ex venis appellatis mammarijs. Ideo ſunt etiam è recentioribus Anatomicis qui tradunt, priùs quàm perreptent venæ in brachium, ab axillari, quæ eſt inferior, & humeraria, quæ ſuperior eſt, itemq́ue à vena caua, ante quàm extra thoracem abeat, aliquot ramos propagari ad mammas, quarum proprij dicuntur, quia ad nutritionem illarum fabrefacti eſſe videntur. Quamobrem ſi lac in mammis fieret tempore geſtationis in vtero ex ſolo ſanguine per venas axillares illis conceſſo & ſubminiſtrato, ſequeretur quòd quò infirmior fœtus foret, minus ſanguinis ad ſe alliceret, ideoq́; magis in ſupernis partibus redundaret, vnde maiores cernerentur mammæ, cum tamen oppoſitum fieri conſtet. Atqui ob præfatam cauſam in Puerpera noſtra maxima lactis copia exuberaſſet, in qua Puellus imbecillus ſemper vixit vel à primis diebus vſque ad partum, ſenſim

Duo vaſorũ genera in mammas vade excurrãt.

atrophia tabescens, sed sanguine & lacte mammæ eius caruere, quia eodem sanguine caruit in vtero fœtus, iuxta Hippocratis mentem. Caruit autem propter adductas superius rationes. Præterea idem auctor. 1. de Morb. mul. si dum fœtus in vtero moueri incipit, lac sui notam matri non exhibeat, tribuendum esse vult πυκνοσάρκοισι mulieris carnis densitati. Cum itaq; suprà dixerim Adolescentulam densi esset habitus, venasq; habere exiles, an & hæc causa in ea possit vnà cum cæteris connumerari, lectori dijudicandũ relinquo. Densitas sanè carnis coniuncta esse solet cum angustia vasorum, propter quod sanguis ab vtero ad mammas deriuari vix potest. Quid si & aliquis illis in venis infarctus ab humoribus crassis, & pituitosis, quibus & cerebri vitio, & victu nõ adeò ordinato corpus eius scatere dicebatur? Nam & eidẽ ante imprægnationem visi sunt aliquando restitare menses, qui tamen iterùm aperientium vsu pullulabant, etsi causa præcipua, quæ hìc præ cæteris locum habet, fuit sanguinis inopia, deficiente scilicet ipsomet sanguine lactis materia, vtpote quo Genitrix adhuc secundùm longitudinem, ac latitudinem euidentissimè crescens pro sui nutritione vsa est. Tradit enim Gal. 5. de Sympt. causis 20. & cum eo Auicenna lib. 3. fen. 21. tract. 1. cap. 2. lac fieri ex sanguine menstruo meliori; Et scias, inquit Auicenna, quòd sanguis menstruus in-

Cur densitas carnis mulieris concurrat ad lactis defectum.

De venarum infarctu opinio Auctoris.

Lac ex quonam sanguine fiat.

prægnante diuiditur in tres partes, ſcilicet in partem, quæ conuertitur in nutrimentum, & partem, quæ eleuatur ad mamillas, & partem, quæ eſt ſuperfluitas ſtans vſquequò veniat hora partus, & expellatur; & eodem in lib. ſen. 12. tract. 1. cap. 2. Scias quòd lac multiplicatur multiplicatione ſanguinis boni; Et ità intelligendi ſunt Hipp. & Gal. quando nimirum ille dixit 2. Epidem. ſect. 3. circa finem; Lac eſſe germanum ſanguinis menſtrui γάλακτα εἶναι ἀδελφὰ ἐπιμηνίων: & hic dum lib. 14. de Vſu part. 8. nec non de Venæ ſect. aduerſus Eraſiſtr. c. 5. & 1. de Sanit. tu. ſcripſit lac fieri ex ſanguine menſtruo; Qua in re legatur etiam Ariſt. 4. de Gen. anim. c. 8. Vnde noſtro in caſu Genitrix pro indiuidui cùm nutritione, tum accretione, quidquid probi & euchymi ſanguinis in ſe generabat, id ferè totum in vſum proprium conuertebat, alio relicto, à quo nec fœtus in vtero nutriri, nec lac in mamillis fabricari ſolet. Sed quid interim cenſendum eſt de lacte illo pauculo, quod velut per ſtillas excretum apparuit à primis temporibus conceptionis, quid de lacte in mammis illarum fœminarum, quæ nunquam conceperunt, imò & hominum ipſorum? Ideò enim ſcribit loco nuperrimè adducto cap. 3. Auicenna. Et quandoque aggregatur lac in mamillis abſque prægnatione, & propriè quando retinentur menſtrua. Reuertitur enim materia, quæ non inuenit virtutem expellen-

Sanguis menſtruus triplex apud Auic.

Hipp. & Gal. in ſanguine menſtruo declarantur per Auicennam.

De lacte in primis menſibus.

lendi per matricem propter paruitatem ipſius, & peruenit in vbere,& lac fit. Et quandoque aggregatur in corporibus virorum, & propriè in pubeRespon ribus, ita vt rotundentur mamillæ ipſorum. An quæ de lacte in viris,quemadmodum & in mulieribus non præcedente conceptu ex congreſſu,literis auctores illi mandarunt, tanquam ad portentũ reduci debent? Neſcio quid enim portenti ſimile videtur eſſe vbi ὕστερον πρότερον in actionibus fit naturæ. Phyſica enim ratione edocemur, vt definitos,ita eſſe ordinatos naturæ proceſſus inter agendum. Lac autem verum in genitricis mammis generari ante puellum, non eſt magis veriſimile, quàm legitimum formari conceptum, ante ſeminis confectionem. Vt ſileam quòd natura nihil fruſtrà molitur, & quidque agit alicuius gratia. Quorſum igitur tunc lac verum ipſa produxerit, & quorſum obſecro in viris, in quibus nulla eius penitus vtilitas? Vnde quoad nos,vtique ego credo magis Alberto, qui 3. de Animal. 9. de hac re loquens tradit,rariſſimum eſſe, vt gignatur lac in viris, & quando id fit,paucum omnino eſſe, & in paucis,quàm Ariſtoteli & Auicennæ aſſerentibus inuentum eſſe corpus,de cuius mammis quotidie maxima lactis copia emulgeretur. Cõſidero enim veriſſimum eſſe quod affertur ab Hipp. in lib. de Gland. viros, cum ſint omninò calidiores fœminis,ope innati caloris vſque adeò elaborare, & abſume-

Reſponſum.

Opinio Auctoris de lacte in Viris.

Cur in hoc magis credat Alberto Magno, quàm Ariſt. & Auiceñ.

ſumere alimentum, vt modicum ſuperſit excrementi, quodque ſupereſt ab ijſdem per varios motus, atque labores digeri atq; reſolui, præter quàm quòd nobis non inſunt mammę ita foraminulentæ ſpongioſæue, & amplæ, vt promptè valeant attrahere, ac recipere ſanguinem ad lactis generationem, quibus ſi finalis adijciatur cauſa, quæ ex naturæ prouidentia in mulieribus tantummodò reperitur, tantò clarius conſtabit nullum in viris lac generari debere. Vt omnis igitur hęſitatio abigatur, omniſq; ceſſet hac de re dubitandi occaſio, neceſſe eſt confugere ad diuini ſenis doctrinam non modò lib. 1. de Morb. mul. ſed & alijs in locis infrà adducendis, vbi duplex ab eo aſſignatur lactis natura, ſeu generatio, nempe veri, & non veri, & illius quidem perbellè concocti, omninoq; laudabilis, huius verò non exquiſitè cocti, ſed velut ſanguinis dealbati potius, naturæ partis vnde emanat reſpondentis, quod alioqui tenue, & dilutum, nec alēdo fœtui accommodatum eſt, cum lac tantùm colore, & nomine ſit, neutiquam viribus, ſecus ac de altero conſtat, quod nomine, & re talē exiſtit; ideoq; non ſolùm album, ſed dulce, craſſiuſculum, & alimenti vires in ſe continens, quod per expreſſionem fit, & refluxum ſanguinis ab vtero ad mammas, quemadmodum per tractionem, ſed aliud tractione tantùm in gratiam proprij nutrimenti allicitur. Quare vt verum lac, niſi

Vera Quæſiti ſolutio ex gemina lactis natura depēdens.

nisi post veram conceptionem generatur, alioqui frustra fieret à natura, quæ paulatim ante partum assuescit sanguinem in mammis præparare, & lac ipsum fabricare,cum fœtus nō multò post edendi futurum sit conueniens alimentum, ità quod verum non est, nec specifica forma lactis nomen meretur, non solùm in mulieribus, quæ nec grauidæ sunt,nec vnquam conceperunt, sed etiam in viris, maximeq; puberibus sanguineis posse interdum generari omnis ratio concludit; Cuius naturæ & stillas dictas,& lac eo ipso tempore in omnibus ferè mulieribus apparens esse reor. Audiamus itaque Hippocratis verba ex lib. de Nat.pueri, & de Gland. Mulieribus rara est mammarum natura, & alimentum quod ad se trahunt in lac immutant. Et hic primus est generationis lactis modus. De altero sic ibidem loquitur; Ab vtero accedit ad mammas lac,quod post partum infanti cessurum est in alimentum; hoc autem exprimit,ac sursum mittit omentum ab ipso fœtu iam grandiori coarctatum. Quare exprimitur, ac refluit vtero gerentibus admirāda sanè naturæ prouidentia ab vtero ipso sanguis statim ac moueri cœperit infans. Quòd si quis dixerit à partu edito non amplius hanc fieri expressionem, & nihilominus abundè sanguinem ad mammas confluere si mulier lactauerit, respondeatur cum Hippocr. id ipsum contingere propter motus iam pridem

Hipp. loca in quibus de duplici lacte,vero,& non vero verba facit.

Dubitatio soluta.

in

in vtero inchoati consuetudinem. Scribit enim de Nat. pueri, vbi peperit mulier, principio motus iam facto, lac fertur ad mammas si lactauerit. Addatur quòd sanguis, præter affluxum sponte factum propter motum, & cursum ad mammarum regionem ab vtero incœptum, à mammis ipsis etiam copiosior trahitur, quàm pro ratione peculiaris alimenti, & propter infantis suctum, motumq; ac exercitationem mammarum, & denique fuga vacui, quoniam à puelli suctu frequentissimo exinanitæ mamillarum venæ vndecunque sanguinem proliciunt. Iuxta autem hanc doctrinam ex fonte Hippocratico haustam, non erit mihi difficile eũdem auctorem interpretari, imò ab euidenti contradictione liberare. Nam loco ab initio allato, nempe 2. Epidem. sect. 3. tex. 34. Lac, inquit, nutrimento mutationem accipiente, octimestri verò perficiente. Quibus in verbis innuit prudentissimus senex octauo mense lac fabricari, cui similiter assentitur Gal. 5. Aphor. 39. quod si ita est, cur idem Hipp. sect. 6. eiusdem libri tex. 23. ait: Trimestris puerulus omnia habet manifesta, & lac tunc habet? Significat enim lac fieri tertio mense. Quę controuersia deciditur à Vallesio iuxta penitus ea, quę paulò suprà de duplici lactis natura à me dicebantur, addito Aristotelis testimonio ex 4. de Gener. animal. cap. 8. vbi legitur septimo mense primùm fieri mulieribus lac vtile, ac

Duo Hippo. loca contraria concilian tur.

concoctius, & copiosius, antè id tempus verò exiguum esse, & inutile; quanquam hoc in loco manifesta apparet contradictio inter Hippocratem, Galenumque, & Aristotelem ipsum. Rationem enim afferens Philosophus, cur lac ante septimum mensem sit malum, post septimum verò, bonum, & vtile, inquit ideò euenire, quia magnam partem sanguinis dulcis & pinguis assumit fœtus ante septimum mensem, sed post septimum, non tantam absumit copiam, propter quod pinguis magis, ac dulcis sanguinis pars demandata in mammas, conuertitur in vtile lac. Attamen Hipp. lib. de Nat. fœt. & Gal. 5. Aphor. 37. apertè tradunt, In extremis conceptus mensibus laborare fœtum penuria alimenti, cuius copiosioris adinueniendi gratia ad exitum properat calcitrando. Conclusio itaq; sit; stillas lactis à primis mensibus obseruatas in hac Adolescentula non fuisse veri lactis, & exquisitè concocti, sed cuiusmodi alijs etiam in mulieribus tunc temporis inesse mammis consueuit, ferè similis ei, quod nec vtero gerentes, menstruis præsertim deficientibus, aliquando gignunt, crudi videlicet atque diluti, quod ex proprij alimenti reliquijs confici posse, imò sæpe solere, nemo est qui neget. In qua pariter nec octauo mense, nec nono lac vnquam in mammis apparuit; quia sanguis, ex quo fit, à Puellæ motu aut etiam mole in supernas partes ex vtero non exprimebatur,

Cōtradictio inter Hippocratem, Galenumque, & Aristotelem.

tur, & quique probus euchymusq; ab ipsa Matre in suarum partium nutritionem, & incrementum absumptus fermè totus fuit, qui neq similiter in gratiam nutricatus Puelluli iam tabefacti, & in vtero sepulti ferè priùs, quàm enati, ad mammas cursum flectere debuit, ibique in lac commutari, cuius posthmodum nullus futurus erat vsus; Siquidem cum Hippocr. 6. Epid. natura est sine doctore magistra, quæ licet indocta, quod non didicit, tamen id rectè facit; Φύσιες πάντων ἀδίδακτοι Naturæ omnium à nullo doctæ, lib. de Alim. Quæri insuper hic posset, quare secundina edita fuerit tam arida, atque rugosa, cùm soleant membranæ illæ omnes fœtum ambientes, ac conuoluentes, præ humiditatibus varijs; quibus imbutæ sunt, laxæ admodum, ac molles esse, quarum interiectu natura embryonem ab vtero separat, ne tenellæ eius partes principes ab vteri ipsius duricie lædantur. Quarum sanè membranarum prima admodum tenuis, ac mollis, quæ immediatè fœtum contegit, est quæ Græcè ἄμνιος, agninaue appellatur, nonnullis quasi muscus, quòd fœtui adhæreat, vt muscus arboribus. Hanc autem volunt Anatomici esse sudoris receptaculum, Mercato aliter censente, dum illam inter ac fœtum non sudorem, quem ait homines non nisi violento aliquo casu profundere, contineri asseuerat, sed potius pingue quoddam recrementum ad infantis salutem à na-

Quæsitũ Tertium circa secundinam.

Membrana Amnios cur ita dicta.

Vsus eius.

Mercati opinio.

Allantoides, & quare ita vocata. tura excogitatum, ibiq; adseruatum. Secunda verò à farciminis figura ἀλλαντοειδὴς vocata non omni ex parte cum Laurentio fœtum ambit, inter

Vſus eius. quam, & chorion ſtabulatur vrina vſque in diem

Vrachos quid ſit, & de illius vſu Anatomaticorũ diſſenſio. partus, eò quidem refuſa per vrachon, qui canalis eſt oblongus exanguiſq; à veſicæ fundo ad vmbilicum productus, ne videlicet vrina ſua acrimonia fœtum lædat, aut vterum irritando, abortum

Carpus, Arãtius, Corteſius. excitet. Negant tamen Carpus, & Arantius vrachon dari peruium, ac perforatum, cuius propterea aliam aſſignant vtilitatem in humanis fœtibus, quorum opinionem nouiſſimè confirmauit Ioannes Baptiſta Corteſius Miſcellan. Medic. Decad. 9. Epiſt. 5. Quorum humorum beneficio ſuſpenditur, & in illis quodammodo ſupernatat infans, ne grauior ab acetabulis contineri haud poſſet, & vt inde partus foret facilior, læuigato, ſeu

An allantoides reperiatur in fœtibus humanis. lubrico magis reddito vteri oſculo. Hanc nihilominus membranam reperiri negant citati Arantius, Corteſius eius diſcipulus, & alij magni nominis Anatomici in fœtibus humanis, quam po-

Fallopij opinio. nunt in cornigeris, vt videre etiam eſt apud Fallo-

Quæſitum de excrementis primę coctionis in fœtu. pium in Anatom. adminiſtrat. Hoc in loco (quod obiter notatum ſit) quæri ab aliquo poſſet, cur fœtus vt vrinam, ſudoremq; emittit, quæ ſunt ſecundæ, ac tertiæ coctionis excrementa, ita primæ nullum reddat. Dicatur id euenire, quia, vt alibi ſignificaui, non excipit ore alimentum, ſed per vmbili-

bilicalem venam, quæ inſeritur iecori, nutritur, vbi parte caua per venam portam maternum ſanguinem ſugit more plantarum. Et, ſi obijciatur nigrum illud ac pici ſimile recrementum, quod ab infante ſtatim nato deijcitur, μηκώνιον ab Ariſt. vocatum, id ſciendum eſt eſſe craſſum & liuidum ſanguinem per venas meſaraicas à natura in inteſtina depoſitum, papauerculum vertit Gaza. Atquì meconium Dioſcoridi eſt ſuccus papaueris adeò frigidus, vt ingeſtus ſtatim inferat exitium. Tertia χωρίον, vel χορίον dicitur, ſiue quòd circuli, & coronæ inſtar fœtum circundet, ſiue quòd eundem contineat. Quæ quidem tunica tota vtero adhæreſcit, venarum & arteriarum vmbilicalium interiectu, cuius generatio quantæ ſit fœtui vtilitatis, docent Anatomici omnes vnanimiter, quia ſcilicet mirè hæc facit pro tutela fœtus, & nutricatu; quæ ſi non adeſſet, vaſa puelli extra vmbilicum prodeuntia, vtpote denudata, & abſque vllo propugnaculo, manifeſto committerentur periculo. Vnde mollioris inſtar puluinaris hæc ipſa mēbrana vaſa vmbilicalia fulcit, ac ſuſtinet. Carnea enim dicta placentula non eſt diuerſa à chorio, ſed eiuſdem pars carnea, & firma valdè. Quæ nihilominus tegmina tria mutuò ſibi connata illud vnum conſtituere dicuntur, quod paſſim & communiter ab omnibus ſub ſecundinæ nomine comprehenditur, & Græcè δεύτεριον vocatur, vel quòd ſecun-

Meconion quid ſit apud Ariſt. & Dioſcoridem.

Chorion, & cur ſit vocetur.

Vſus eius.

Secundina quid ſit, & vnde ſic dicta.

cur Fœtus modicum à materno ſanguine capiebat alimentum? Vel itidem cur ab eorum imminutione, præceleriq́ue cohibitione aliquod è ſindrome ſymptomatum illorum, quæ tali in caſu pati puerperæ ſolent, in ea ſubortum non eſt? Nonne ait Hipp. & 1. de Morb. mul. & de Nat. fœtus, mulierem, niſi à puerperio repurgetur, in grauem morbum incidere, magnoq́; in periculo verſari, niſi protinus purgatio adhibeatur, & purgationem aliquis conuenientem inducat? Tempus autem purgationi huic ab eodem Hippocr. aſſignatum, ſi mater fœminam quidem pepererit, eſt duorum & quadraginta dierum, ſi marem verò, triginta; quæ tamen ſunt purgationis ſpatia longiſſima. Vnde teſtimonio eiuſdem Hippocratis vacabit genetrix periculo, ſi partu fœminæ viginti quinque diebus peragatur purgatio, maris autem viginti. At noſtro in caſu breuiſſimum fuit expurgationis tempus, cum ſtatim à prima die, vel prima & altera ferè penitus ſuppreſſa reſtiterit, nullaq́; inſtituta purgatio, & qui demiſſus fuit ſanguis, vix trium vnciarum menſuram ſuperabat. An quia ſanguinis à venoſo genere Matris ad vterum confluxus minus quàm mediocris fuit, dum ipſamet pro ſuo nutricatu, & corporis incremento eum retinebat, & fœtus infirmus minime attrahebat? Quare ſi maiori ex parte conſumebatur ſanguis pro Genitricis augeſcentis nutritione, & au-

Secundum; Cur à tam breui, diminutaq́; eorum vacuatione Puerpera nullum ſenſerit detrimẽtum.

Tempus purgationi aſsignatũ ab Hippocr. in puerperio.

Reſpõſum ad Primũ Quæſitum.

& auctione, sanè paucissimus in vtero colligi potuit, purus quidem & euchymus pro Puelli nutrimento, prauus autem, & impurus pro lochiorum vacuatione. Verumtamen hoc dato, atque concesso, re scilicet considerata iuxta quantitatem, quæ vix adesse in vtero potuit, propter allatam causam, vnde obsecro factum, vt ex subitaria lochialis materię quantumuis paucissimę retentione, Puerpera nullam penitus læsionem senserit, si vel ex minima tetri illius humoris portione intra vteri loculos detenta, tot calamitates oriũtur quotidie in puerperis? Siquidem lochiorum suppressio peior valdè mẽsium cohibitione, eo quòd post partum, assertore Galen. lib. de Atrabile, vacuatur sanguinis pars deterior; cum idem 1. de Nat. hum. tex. 23. & 3. in 3. Epidem. & ante eum Hipp. 1. de Morb. mul. scribat prægnantes prauum impurumque sanguinem habere, à qua nihilominus etiam mensium non modò lochiorum suppressione incredibile dictu, quàm praua emergant, & suscitentur symptomata; vnde Hipp. 1. de Morb. mul. loquens de menstruo sanguine, ait; si circa vterum, & locos stabuletur, phlegmonas, carcinomata, erysipelata, scirrhosq; parit; si ad superiores partes refluat, morbi inde nascuntur, qui partis obsessæ, & humoris morbifici naturam sequuntur. In hepate cachexiam, icterum, hydropem excitat, in liene obstructiones, scirrhos, in

Ad Secundũ.

Lochiorũ suppresio cur deterior mẽsium suppressione.

Quot, & quęnam mala à mensibus cohibitis apud Hippocr.

cundò à partu exeat, vel quòd secundum sit ab vtero fœtus domicilium. Quæ omnia prælibanda erant, antequàm ad Quæsiti solutionem me conferrem. An ergò exiccata, & in plicas contracta secundina, exhaustis à nimio vteri calore humiditatibus illis? Quemadmodum enim scribit Hipp. lib. de Nat. pueri, genituram calefactam, & inflatam pellicula circundari, vt panis, dum torretur, crusta quadam obducitur, quod verisimile est fieri in fœtu secundum naturam procreato, à blando temperatoq; calore, ita in fœtu nimis desiccato, à calore velut igneo, vt re vera pani contingit, inuolucrum exsuccum redditum non omnino improbabile cuipiam videri posset. Verùm quia de nulla vnquam in superius enarratis intensiori vteri caliditate mentio facta est, & hęc, quando viget, sui notas expromit manifestas, imò conceptionem penitus interpellat, cum dicat Hippoc. 5. Aphor. Quæ vteros habent præcalidos, non concipiunt, quia videlicet calidior vterus semen ardore torret, & exurit, idcirco aliam inquiramus causam, quam suppeditare nobis poterunt iam suprà iacta fundamenta. An itaque velut siccum chorium eiectum est tegmen illud, quia à Puerulo vix nutrito, ac tantopere tabefacto, nec sudor, nec lotium, vtraque eiusdem mineræ soboles, copiosè prodire potuerunt, quibus vndequaque imbuta membrana, mollis & laxa conseruaretur? An

Tertij Quæsiti solutio.

Vteri præcalidi non concipiunt, & cur.

verò quòd & ipsa locato consentiens minime alebatur? Ita enim partes omnes in nobis appetente senio rugis deturpantur, dum roridæ, alibilisque substantiæ inopia in se concidunt. Ad lochia tandem stylum conuertamus; quæ sanè, vt ex historia patet, ab initio statim puerperij laudabili tum copia, tum colore excreta fuerunt, sed non ita post, dico eadem ferè die, valdè minui visa sunt, ac propè supprimi. Nam quæ duobus, vel tribus subsequentibus diebus interdum exibant, & pauca admodum erant, & coloris diluti, non rosei, qualis mox à partu edito. Vnde sanguis extractus è pede fuit, sed parcè nimis. Attamen Adolescentula hilariter semper vixit, & incolumis; non solùm tempore gestationis in vtero, sed & in partu ipso, ac post partum vsque in hodiernum tempus, quod à die partus quatuor mensium interuallo distat. Cur itaque quæret aliquis tam breuis, tamque diminuta fuit lochialis purgatio in Adolescentula plethorica, & in qua eò maior coaceruari menstrui sanguinis quantitas debuit, quò in dies copiosis vescebatur cibis. Sanguis enim commune est alimentum, quod rationem insequitur perpetuò cibi & potus. Vnde Aristot. 2. de parti anim. cap. 3. dicit, quoties cibus non ingeritur, sanguis deficit, quoties ingeritur, augetur, & Hippocr. ipse 2. Epidem. Cibis & potibus humeri ac mammæ inflantur. Præterquam quòd qui in vtero gestabatur

Lochiorum vacuatio cuiusmodi fuerit.

In ijsdē Quęsita duo.

Primum, Cur in Adolescentula plethorica fuerint adeo imminuta.

cundò à partu exeat, vel quòd secundum sit ab vtero fœtus domicilium. Quæ omnia prælibanda erant, antequam ad Quæsiti solutionem me conferrem. An ergò exiccata, & in plicas contracta secundina, exhaustis à nimio vteri calore humiditatibus illis? Quemadmodum enim scribit Hipp. lib. de Nat. pueri, genituram calefactam, & inflatam pellicula circundari, vt panis, dum torretur, crusta quadam obducitur, quod verisimile est fieri in fœtu secundum naturam procreato, à blando temperatoq; calore, ita in fœtu nimis desiccato, à calore velut igneò, vt re vera pani contingit, inuolucrum exsuccum redditum non omnino improbabile cuipiam videri posset. Verùm quia de nulla vnquam in superius enarratis intensiori vteri caliditate mentio facta est, & hęc, quando viget, sui notas expromit manifestas, imò conceptionem penitus interpellat, cum dicat Hippoc. 5. Aphor. Quæ vteros habent præcalidos, non concipiunt, quia videlicet calidior vterus semen ardore torret, & exurit, idcirco aliam inquiramus causam, quam suppeditare nobis poterunt iam suprà iacta fundamenta. An itaque velut siccum chorium eiectum est tegmen illud, quia à Puerulo vix nutrito, ac tantopere tabefacto, nec sudor, nec lotium, vtraque eiusdem mineræ soboles, copiosè prodire potuerunt, quibus vndequaque imbuta membrana, mollis & laxa conseruaretur? An

Tertij Quæsiti solutio.

Vteri præcalidi non concipiunt, & cur.

verò quòd & ipsa locato consentiens minime alebatur? Ita enim partes omnes in nobis appetente senio rugis deturpantur, dum roridæ, alibilisque substantiæ inopia in se concidunt. Ad lochia tandem stylum conuertamus; quæ sanè, vt ex historia patet, ab initio statim puerperij laudabili tum copia, tum colore excreta fuerunt, sed non ita post, dico eadem ferè die, valdè minui visa sunt, ac propè supprimi. Nam quæ duobus, vel tribus subsequentibus diebus interdum exibant, & pauca admodum erant, & coloris diluti, non rosei, qualis mox à partu edito. Vnde sanguis extractus è pede fuit, sed parcè nimis. Attamen Adolescentula hilariter semper vixit, & incolumis; non solùm tempore gestationis in vtero, sed & in partu ipso, ac post partum vsque in hodiernum tempus, quod à die partus quatuor mensium interuallo distat.

Lochiorum vacuatio cuiusmodi fuerit.

Cur itaque quæret aliquis tam breuis, tamque diminuta fuit lochialis purgatio in Adolescentula plethorica, & in qua eò maior coaceruari menstrui sanguinis quantitas debuit, quò in dies copiosis vescebatur cibis. Sanguis enim commune est alimentum, quod rationem insequitur perpetuò cibi & potus. Vnde Aristot. 2. de part. anim. cap. 3. dicit, quoties cibus non ingeritur, sanguis deficit, quoties ingeritur, augetur, & Hippocr. ipse 2. Epidem. Cibis & potibus humeri ac mammæ inflantur. Præterquam quòd qui in vtero gestabatur

In iisdē Quęsita duo.

Primum, Cur in Adolescentula plethorica fuerint adeo imminuta.

cundò à partu exeat, vel quòd secundum sit ab vtero fœtus domicilium. Quæ omnia prælibanda erant, antequam ad Quæsiti solutionem me conferrem. An ergò exiccata, & in plicas contracta secundina, exhaustis à nimio vteri calore humiditatibus illis? Quemadmodum enim scribit Hipp. lib. de Nat. pueri, genituram calefactam, & inflatam pellicula circundari, vt panis, dum torretur, crusta quadam obducitur, quod verisimile est fieri in fœtu secundum naturam procreato, à blando temperatoq; calore, ita in fœtu nimis desiccato, à calore velut igneo, vt re vera pani contingit, inuolucrum exsuccum redditum non omnino improbabile cuipiam videri posset. Verùm quia de nulla vnquam in superius enarratis intensiori vteri caliditate mentio facta est, & hęc, quando viget, sui notas expromit manifestas, imò conceptionem penitus interpellat, cum dicat Hippoc. 5. Aphor. Quæ vteros habent præcalidos, non concipiunt, quia videlicet calidior vterus semen ardore torret, & exurit, idcirco aliam inquiramus causam, quam suppeditare nobis poterunt iam suprà iacta fundamenta. An itaque velut siccum chorium eiectum est tegmen illud, quia à Puerulo vix nutrito, ac tantopere tabefacto, nec sudor, nec lotium, vtraque eiusdem mineræ soboles, copiosè prodire potuerunt, quibus vndequaque imbuta membrāna, mollis & laxa conseruaretur? An

Tertij Quæsiti solutio.

Vteri præcalidi non concipiunt, & cur.

verò quòd & ipsa locato consentiens minime alebatur? Ita enim partes omnes in nobis appetente senio rugis deturpantur, dum roridæ, alibilisque substantiæ inopia in se concidunt. Ad lochia tandem stylum conuertamus; quæ sanè, vt ex historia patet, ab initio statim puerperij laudabili tum copia, tum colore excreta fuerunt, sed non ita post, dico eadem ferè die, valdè minui visa sunt, ac propè supprimi. Nam quæ duobus, vel tribus subsequentibus diebus interdum exibant, & pauca admodum erant, & coloris diluti, non rosei, qualis mox à partu edito. Vnde sanguis extractus è pede fuit, sed parcè nimis. Attamen Adolescentula hilariter semper vixit, & incolumis; non solùm tempore gestationis in vtero, sed & in partu ipso, ac post partum vsque in hodiernum tempus, quod à die partus quatuor mensium interuallo distat. Cur itaque quæret aliquis tam breuis, tamque diminuta fuit lochialis purgatio in Adolescentula plethorica, & in qua eò maior coaceruari menstrui sanguinis quantitas debuit, quò in dies copiosis vescebatur cibis. Sanguis enim commune est alimentum, quod rationem insequitur perpetuò cibi & potus. Vnde Aristot. 2. de part. anim. cap. 3. dicit, quoties cibus non ingeritur, sanguis deficit, quoties ingeritur, augetur, & Hippocr. ipse 2. Epidem. Cibis & potibus humeri ac mammæ inflantur. Præterquam quòd qui in vtero gestabatur

Lochiorum vacuatio cuiusmodi fuerit.

In ijsdē Quęsita duo.

Primum, Cur in Adolescentula plethorica fuerint adeo imminuta.

cundò à partu exeat, vel quòd secundum sit ab vtero fœtus domicilium. Quæ omnia prælibanda erant, antequam ad Quæsiti solutionem me conferrem. An ergò exiccata, & in plicas contracta secundina, exhaustis à nimio vteri calore humiditatibus illis? Quemadmodum enim scribit Hipp. lib. de Nat. pueri, genituram calefactam, & inflatam pellicula circundari, vt panis, dum torretur, crusta quadam obducitur, quod verisimile est fieri in fœtu secundum naturam procreato, à blando temperatoq; calore, ita in fœtu nimis desiccato, à calore velut igneo, vt re vera pani contingit, inuolucrum exsuccum redditum non omnino improbabile cuipiam videri posset. Verùm quia de nulla vnquam in superius enarratis intensiori vteri caliditate mentio facta est, & hęc, quando viget, sui notas expromit manifestas, imò conceptionem penitus interpellat, cum dicat Hippoc. 5. Aphor. Quæ vteros habent præcalidos, non concipiunt, quia videlicet calidior vterus semen ardore torret, & exurit, idcirco aliam inquiramus causam, quam suppeditare nobis poterunt iam suprà iacta fundamenta. An itaque velut siccum chorium eiectum est tegmen illud, quia à Puerulo vix nutrito, ac tantopere tabefacto, nec sudor, nec lotium, vtraque eiusdem mineræ soboles, copiosè prodire potuerunt, quibus vndequaque imbuta membrana, mollis & laxa conseruaretur? An

Tertij Quæsiti solutio.

Vteri præcalidi non concipiunt, & cur.

verò

verò quòd & ipsa locato consentiens minime alebatur? Ita enim partes omnes in nobis appetente senio rugis deturpantur, dum roridæ, alibilisque substantiæ inopia in se concidunt. Ad lochia tandem stylum conuertamus; quæ sanè, vt ex historia patet, ab initio statim puerperij laudabili tum copia, tum colore excreta fuerunt, sed non ita post, dico eadem ferè die, valdè minui visa sunt, ac propè supprimi. Nam quæ duobus, vel tribus subsequentibus diebus interdum exibant, & pauca admodum erant, & coloris diluti, non rosei, qualis mox à partu edito. Vnde sanguis extractus è pede fuit, sed parcè nimis. Attamen Adolescentula hilariter semper vixit, & incolumis; non solùm tempore gestationis in vtero, sed & in partu ipso, ac post partum vsque in hodiernum tempus, quod à die partus quatuor mensium interuallo distat. Cur itaque quæret aliquis tam breuis, tamque diminuta fuit lochialis purgatio in Adolescentula plethorica, & in qua eò maior coaceruari menstrui sanguinis quantitas debuit, quò in dies copiosis vescebatur cibis. Sanguis enim commune est alimentum, quod rationem insequitur perpetuò cibi & potus. Vnde Aristot. 2. de part. anim. cap. 3. dicit, quoties cibus non ingeritur, sanguis deficit, quoties ingeritur, augetur, & Hippocr. ipse 2. Epidem. Cibis & potibus humeri ac mammæ inflantur. Præterquam quòd qui in vtero gestabatur

Lochiorum vacuatio cuiusmodi fuerit.

In ijsdē Quęsita duo.

Primum; Cur in Adolescentula plethorica fuerint adeo imminuta.

cur Fœtus modicum à materno ſanguine capiebat alimentum? Vel itidem cur ab eorum imminutione, præcelerique cohibitione aliquod è ſindrome ſymptomatum illorum, quæ tali in caſu pati puerperæ ſolent, in ea ſubortum non eſt? Nonne ait Hipp. & 1. de Morb. mul. & de Nat. fœtus, mulierem, niſi à puerperio repurgetur, in grauem morbum incidere, magnoq; in periculo verſari, niſi protinus purgatio adhibeatur, & purgationem aliquis conuenientem inducat? Tempus autem purgationi huic ab eodem Hippocr. aſſignatum, ſi mater fœminam quidem pepererit, eſt duorum & quadraginta dierum, ſi marem verò, triginta; quæ tamen ſunt purgationis ſpatia longiſſima. Vnde teſtimonio eiuſdem Hippocratis vacabit genetrix periculo, ſi partu fœminæ viginti quinque diebus peragatur purgatio, maris autem viginti. At noſtro in caſu breuiſſimum fuit expurgationis tempus, cum ſtatim à prima die, vel prima & altera ferè penitus ſuppreſſa reſtiterit, nullaq; inſtituta purgatio, & qui demiſſus fuit ſanguis, vix trium vnciarum menſuram ſuperabat. An quia ſanguinis à venoſo genere Matris ad vterum confluxus minus quàm mediocris fuit, dum ipſamet pro ſuo nutricatu, & corporis incremento eum retinebat, & fœtus infirmus minime attrahebat? Quare ſi maiori ex parte conſumebatur ſanguis pro Genitricis augeſcentis nutritione, & au-

Secundum; Cur à tam breui, diminutaq; eorum vacuatione Puerpera nullum ſenſerit detrimẽtum.

Tempus purgationi aſsignatũ ab Hippocr. in puerperio.

Reſpõſum ad Primũ Quæſitum.

& auctione, sanè paucissimus in vtero colligi potuit, purus quidem & euchymus pro Puelli nutrimento, prauus autem, & impurus pro lochiorum vacuatione. Verumtamen hoc dato, atque concesso, re scilicet considerata iuxta quantitatem, quæ vix adesse in vtero potuit, propter allatam causam, vnde obsecro factum, vt ex subitaria lochialis materię quantumuis paucissimę retentione, Puerpera nullam penitus læsionem senserit, si vel ex minima tetri illius humoris portione intra vteri loculos detenta, tot calamitates oriũtur quotidie in puerperis? Siquidem lochiorum suppressio peior valdè mẽsium cohibitione, eo quòd post partum, assertore Galen. lib. de Atrabile, vacuatur sanguinis pars deterior; cum idem 1. de Nat. hum. tex. 23. & 3. in 3. Epidem. & ante eum Hipp. 1. de Morb. mul. scribat prægnantes prauum impurumque sanguinem habere, à qua nihilominus etiam mensium non modò lochiorum suppressione incredibile dictu, quàm praua emergant, & suscitentur symptomata; vnde Hipp. 1. de Morb. mul. loquens de menstruo sanguine, ait; si circa vterum, & locos stabuletur, phlegmonas, carcinomata, erysipelata, scirrhosq; parit; si ad superiores partes refluat, morbi inde nascuntur, qui partis obsessæ, & humoris morbifici naturam sequuntur. In hepate cachexiam, icterum, hydropem excitat, in liene obstructiones, scirrhos, in

Ad Secundũ.

Lochiorũ suppresio cur deterior mẽsium suppressione.

Quot, & quęnam mala à mensibus cohibitis apud Hippocr.

Q ven-

ventriculo deprauatam appetentiam, malaciam, in corde palmon, syncopem, in pulmone vlcera, tabes, in cerebro epilepsiam, melancholiam, &c. Quibus fortasse permotus elegantissimus Fernelius negat prorsus menstruum sanguinem alimentarium esse, & eiusdem naturæ cum eo, à quo fœtus alitur, asserens, non solùm exuberante quantitate noxium esse, sed etiam praua, ac velut deleteria qualitate malignum, atque funestum. Contra quem tamen Neoterici ferè omnes insurrexere, opinionem hanc refutantes, inter quos primas, me iudice, tenent Albertus Bottonus de Morb. mul. & Ioubertus in suis Paradoxis. Quamobrem omissa nunc longiori hac disceptatione iampridem ab alijs agitata, solùm dixerim ex hac obseruatione, & præsenti hoc casu non difficulter colligi, haud quaquam perpetuò vera esse, quæ passim de menstruo sanguine traduntur à varijs scriptoribus, nisi intelligantur de mulieribus non sanis, imò cacochymis succis scatentibus, quorum permixtione malignam sanguis ipse qualitatem nanciscitur, sicuti non rarò quoque, si ex nimis longa mora, nimiaq; cunctatione intensiorem caliditatem, aut etiam putredinem aliquam contrahat. Postremò dicebat Hipp. 1. de Morb. mul. & de Nat. pueri, quòd cum mulier parturit, incipit sanguis commoueri, & incalescere, fœtu vehementer se se mouente. Quod quidem hic eueni-

Fernelij opinio de menstruo sanguine.

Eadem reiecta à Bottono, & Iouberto.

re minime potuit, quia fœtus multò ante partum nullo manifesto motu ciebatur, vt nec prope pariendi tempus, quo vita defunctus erat. Subiungit autem ibidem, quod ad rem nostram dilucidandam magnopere quoque facit; Exit verò sanguis, siquidem mulier valeat, aut valere debeat, qualis è victima, & citò concrescit. Cur etenim dixit Hippocr. qualis è victima, nisi vt significaret sanguinem integrum, & syncerum, rubentem, floridum, rosei coloris, nullaq; in re vitiosum? Qualis ferè fuit nostra in Puerpera, vt suprà in Historia firmaui. Deligi enim solebant veteribus victimæ optima sanitate præditæ, & in florenti ætate constitutæ, à quibus non nisi optimus promanare solet sanguis, cuiusmodi est, qui nec nimiùm citò, nec nimiùm serò concrescat; quia ille crassior est, hic verò humidior, magisq; serosus. Et hic finis Disquisitioni Generali, per quam, vt pote causas omnes infœlicis Partus enarrantem, non arduum postea erit ad alteram descendere magis specialem; si opus fuerit, in qua Prophylactice examinabitur, quæ causarum ablatione perficitur.

Puerpera cur sana à Partu.

Hippo. locus enarratus.

Qui sanguis optimus sit.

LAVS DEO.

AD EVNDEM BENEVOLVM LECTOREM PERORATIO.



LTIMA primis respondebunt, Beneuole Lector, si quæ ab initio Opusculi theoricè magis, magisq; vniuersè præfari tecum libuit, in eiusdem modò calce propiùs minusq; communiter; interim oblata occasione, à me calamo notata cõsiderabis. Homeromastigas igitur (ita enim & Plinius carptores nominat suos) cauere tam difficile iudico, quàm quod difficillimum, ne dicam impossibile, quos omnis apud omnes ætas tulit. Vnde si Hebræorum adyta, Aegyptiorumque mysteria, nec non Græcorum ac Latinorum monumenta vel oscitanter penetrãdo legendoue percurras, nullo vnquam non tempore videbis ex hominum genere pullulasse hominum ipsorum osores, aut misanthropos, quibus vnum hoc studium, de aliena fama, litigando, & canum instar quorundam sine causa sine discrimine latrando, passim detrahere, eo solùm nomine se posse innotescere autumantes, si præstantissimos quosque sugillent ac lanient, *sandalium in Venere reprehendentes*. Quare Homerus, (vetustiores, nesim longior, libenter omitto) qui fuit ante Romam conditam annis circiter centum sexaginta, talium morsus

Homeromastigæ qui dicantur.

Plinius in procemio.

Misanthropi qui sint.

Prouerbium.

Homerus ante Romam conditam.

ſus expertus eſt, ſi non priùs, certè Ptolemæi Aegypti Regis æuo, quo Zoilus quidam inſurrexit auſus Poetarum omnium maximum & cantatiſſimum inſcitiæ arguere, qui tandem parricidij accuſatus, iuſſu Regis, cui ex iam ante obſeruata impudentia inſenſus admodum erat, ſublatus in crucem fuit. Hippocrates itidem, Plato, Ariſtoteles, & Galenus, velut Cicero, Virgilius, & alij huius cenſus ac primæ notæ Auctores conuicia tot ſenſerunt, quot verba protulerunt, vt ſuprà de ſummis Medicinæ Dictatoribus planè intellexiſti; Quamobrem ſi tantorum Heroum doctrina & fama à talium hominum, quos plerunque vel ſolus faciei aſpectus abundè nimis oſtendit, ſcommatis, imò & loedorijs Comicorum proprijs intacta præſeruari non potuit, quomodo ego omnium infirmiſſimus iſtorum maledicta à me meiſq; longè arcebo? Qui nimirùm Andabatarum in morem pugnæ illud genus aggredientes, quam B. Baſilius νυκτομαχίαν dixit, ſpicula in ſingulos iaculantur, vt etiam, vbi hoſtis non eſt, ibi triumphi cauſam aliquam quærant. Audi, amabo, theoricè ne, an (quod aiunt) practicè loquar. Dum typis præfata nuper traderentur, ad meas peruenit aures, hic impreſſas apud Maſcardum epiſtolas (Lamias turres) iurgiorum conuiciorumque plenas, rerum verò, ac rationum ſolidarum vacuas, in quas, Cleobuli illud vetus conueniat: Ἀμουσία τὸ πλεῖον μέρος, λόγων τε πλῆθος: *Inſcitia in pleriſque, & ſermonum multitudo*; & in illis potiſſimùm quandam ſtabulari in me meamq; opinionem de Abuſu olei chalcanthini operi iam pridem edito de Morbis capitis frequentioribus publicæ vtilitatis ergo inſertam; In qua quidem epiſtola Viri nonnulli doctrina & animi candore perornati, mihiq; familiaritate coniuncti multa obſeruaſſe fatentur, petulanter nimis, nimiſq; iactanter emiſſa, quæ nullatenus diſſimulanda, ſed refutanda ſint ſtatim, addentes etiam ex eiuſdem hominis aſſertio-

In eundem quando Zoilus excitatus.

Hippocratis, Platonis, Ariſtotelis, & aliorum ſummorum Virorum conuiciatores.

B Baſilius.

Perorationis occaſio.

Opinio Auctoris de Abuſu olei chalcanthini maledicis verbis laceſſita à nouo Zoilo.

sertione, nescio quorundam stimulo compilata, & prodita in lucem fuisse, ad meum (hæc est enim fumi vis.) denigrandum nomen, cuius (absit verbo inuidia) splendore illi ophthalmia magis detenti, quàm ego amblyopia, timent suam lucem præstringi. Qui propterea tanti scriptoris robore suffulti multò adhuc acerbiora in me & alios minitantur, sed videat consensum præstans ne *de carbonaria ad calcariam; E Scylla in Charybdim; E fumo in flammam*. Vera enim perpetuò sunt Psalmographi eloquia; inter quæ illud: *Malignantes exterminabuntur.* Ad quem sic cum B. Augustino; *Quæ tandem vis, nisi cæcitas, & vanitas animi cogit hominem clausis, vt dicitur, oculis tanquam in alterum iacere, quod cùm in eum iecerit, continuò redeat?* His autem amicè hortantibus vtrum nihilominus morem gerere debeam, respondendo seu rescribendo, nec ne, meritò ambigo, & iure etiamnum dubito. Quandoquidem mihi à multo tempore decretissimum; nemini respondere, sed æquo animo audire imperitorum ac idiotarum conuicia, & istorum cōtemptum omninò contemnere, siue, quod ille tradit,

Prouerbia tria.

Psalmographi dictum.

B. Augustini locus.

Antiquum Auctoris propositum.

Velut obstreperum scopulum præternatare:

Apud Plutarchū de Vtil. ex hostib. ca.

Nam si interdum rescripsi, id pariter ex amicorum sententia potiùs, quàm ex mea feci, non ignorans esse verissimum quod Plutarchus ait, *Silentium vbiquè haberi impune, & adhibitum præsertim, vbi maledictis impetimur, grauitatem præseferre, esseq; Socraticum quippiam, aut Herculeum*, nec non & Plautinum illud:

Idem ibidem de Silentio.

Bacchæ bacchanti si velis aduersarier,
Ex insana insaniorem facies, feriet sæpius:

Plauti conuenientissimum dicterium.

adeò inclinant aliqui animum ex naturæ impulsu ad litigia prorsus, neutiquam ad rerum veritatem absque liuore indagandam. Quæ me quoque causa olim adduxit, vt nec aliam quandam seu epistolam, seu apologiam contra me intentis multorum sciolorum neruis fabrefactam

Epistola quędam alia in Auctorem olim diuulgata.

(licet

(licet sub vnius titulo propalatam) videre, non modò confutare vel demoliri voluerim. Cui quidem silendi rationi addatur & altera, quoniam à cordatis solidèq; doctis Viris audiui amborum scripta de numero illorum esse, quæ Plato cum Adonijs hortis comparabat, qui subitò & vno die nati, celerrimè pereunt, vt mirum non sit, si iamdudum iacent apud salsamentarios. Demum hæc causa præcipuè à rescripto me cohibuit, quia cum talibus manum conserere penitus inglorium, & quòd eo vice versa illi non parùm attollerentur. Adeamus Attium, vbi ita canit: *Tropheum ferre me à forti viro pulchrum est. Sin autem & vincar, vinci à tali, nullum est probrum.* & audiamus Aiacem cum Vlysse contendentem apud Ouidium:

Quænam scripta cum Adonijs hortis cō parāda ex Plat. apud Stobæum.

Attij locus.

Ipse tulit pretium iam nunc certaminis huius,
Qui cùm victus erit, mecum certasse feretur.

Ouidij alter ex lib. meta.

Attamen quia non me latet ab huiusmodi hominibus silentium aliter accipi, imò passim apud vulgum, qui credit approbata, quæ refutata non videt, notari tanquam in consensum ductum, & quia similiter publicè interest maledicorum effrænem petulantiam reprimi, & retundi (quod optimè tenens Dauid Verbetius Germanus verè iatrophysicus, iatrochymicusque, & Græci ac Latini sermonis instructissimus edidit nuperrimè acutissimum librum, cuius exempla multa quantocyus Romam aduolabunt, in quo, dispeream, si non Thurini huius, Logicæ tantùm Almo in Gymnasio doctoris nouitij, fumidam garrulitatem in fumum totam per diaphoresim euanescere facit) persuaderi tandem fortasse mihi patiar, vt Apologeticus liber exeat, sine conuicijs sine dicterijs, in quo sola sit pro scopo veritas, & purgatio tantùm, non vltio, vtq; auertatur, non inferatur plaga, & in quo idcircò, vt scopulus assilientes vndas sine motu vllo suo frangit, sic ego cōuiciatores istos, sine acerbitate vlla

Propositi veteris aut consilij mutatio vnde.

Laudes Libri Dauid Verbetij Germani Medici quàm doctissimi.

Alludit Auctor ad Thurinum Alexādri Seueri.

Apologetici libri Auctoris argumentum & conditiones.

aut

Lipſium in quanam re Auctor ſibi imitandū proponat.

Seneca Conſ. ad Helu.

Hipp. ab initio lib. de Præcept.

B.Paulus.

Virgilius.

Prouerbia duo.

aut ira, Lipſij mei imitatione. Verùm hæc in lucem quando? Quando, inquam, cominus, & ad certum dimicabitur? Medicè reſpondeo, cogitatoq; cum Seneca tamen prius; *In morbis nihil eſt magis periculoſum, quàm immatura Medicina*; deinceps cum Hippocrate. *Tempus eſt, in quo occaſio eſt; occaſio autem eſt, in qua tempus non multum*. Ignotum, inquies, per ignotius. Pro firmo fac habeas, me opportuno tempore ſic pugilem acturum, non velut aerem ferientem, cum B. Paulo 1. Cor. 9. nec verberantem ictibus auras, cum Virgilio lib. 5. In eodem ponti æſtu hærere te, ſubiunges. Vis dicam? Mappa miſſa. Aeternùm vale Beneuole Lector.

DEO TRINO GLORIA,
& Beatiſsimæ Virgini
MARIAE.

